VERGILIVS

ESEMPLARE N. 1256
DEI 1500 NUMERATI

SCRIPTORES GRAECI ET LATINI
PVBLICO SVMPTV EDITI

P. VERGILI MARONIS
OPERA

REMIGIVS SABBADINI RECENSVIT

VOL. I

BVCOLICA ET GEORGICA

ROMAE
TYPIS REGIAE OFFICINAE POLYGRAPHICAE
CIↃ IↃ CCCC XXX

IN VERGILI NATALEM BIS MILLESIMUM

(ID. OCT. A. MCMXXX)

ITALUS

Natalis tibi bis millesimus, ecce, Menalca.
  Hoc Itali certant te celebrare die.

MENALCAS

At me cur celebrent? malim mea carmina versent,
  Italiam ut discant quo sua fata vocent
Et, postquam ipsa omnis e finibus expulit hostis,
  Iam renovare parent pascua rura duces.

PRAEFATIO

Priorem Vergilianorum operum editionem[1] *angustioribus terminis circumscriptam haec altera sequitur aliquanto plenior et doctis viris paulo magis accommodata, in qua instruenda novis quibusdam subsidiis adiutus sum. Primus enim post Ottonem Ribbeck codices scripturae quadratae denuo excussi; quorum duo quidem, Mediceus (M) et Fulvianus (F), ille a Maximiliano Hoffmann descriptus, hic phototypice expressus, cunctis Vergili studiosis patebant, sed tres alios, Augusteum (A), Palatinum (P), Romanum (R), nemo adhuc novis curis diligentius contulerat, cum omnes, in iisque ego ipse, qui Vergili poemata hoc ineunte saeculo et superioris annis posterioribus XL edenda susceperunt Ribbeckianos acervos populari satis habuissent. At cum idibus octobribus anno huius aetatis trigesimo Vergili natalem bis millesimum sollemniter cuncta gens humana celebratura sit, statui, ut aliquid ad celebrationem conferrem, novam hanc editionem parare codicibus diligenter conlatis eademque de causa*

1. Priorem Georgicon et Aeneidos recensionem Corpus scriptorum Latinorum Paravianum (N. 22. 23. 24. 25. 37) recepit; Bucolicon vero liber, quem ibidem ipse Carolus Pascal, vir de antiquitatis studiis optime meritus idemque Corporis moderator, recensuerat (N. 9), a me nunc primum editur.

Totam hanc editionem I. B. Paravia ipse typis suis adornandam susceperat; sed Petro Fedele, summo studiorum Italicorum moderatore intercedente, ius proprium is patriae remisit.

ut ceteris quoque hominibus antiquitatis studiosis consulerem a Bibliothecae Vaticanae praefecto impetravi ut duos ex illis, Augusteum Palatinumque, ad similitudinem typis exprimendos curaret.

Neque in hoc operam perdidi, nam in Palatino potissimum patienter attenteque perscrutando cum plurimum laboravissem, tam multa, quae nemo antea, perspexi et distinxi, ut is ex conlatione mea paene testis novus exsistat; in quo illud quoque contigit, ut ei multo plus, praesertim in re orthographica, quam ipse prius existimavissem, tribuendum mihi persuaserim. Quibus in universum praemissis, videamus qua ratione et via opus hoc nostrum instituendum sit.

* * *

Exstitisse aliquando post Vergili mortem operum eius editionem a grammatico aliquo critica ratione instructam nullis certis indiciis comprobatur. Sunt quidem qui putent huiusmodi editionem a Valerio Probo paratam esse; sed Probianarum lectionum, quas novimus a Servio aliisque allatas, in Vergilianis codicibus vix paucae comparent; ex quo effici necesse est opera eum tantum interpretatum esse, non ad obrussam, ut ita dicam, edidisse. Quare non id nobis propositum esse debet ut codicum lectionibus archetypum cuiuspiam editionis exemplar restituamus, sed ipsum potius auctoris exemplar quantum fieri poterit consequamur; quod sane editores omnes post imprimendi artificium inventum ad tempora usque nostra fecerunt, qui, ut unum afferre satis habeam, versus libri II Aeneidos 567-588 a Vario, Vergilio iubente,

deletos eosdemque a Donato et Servio traditos in suarum editionum contextum receperunt.

Nec vero plana est via qua ad Vergili verba feramur. Nam vetustissimi codices illi septem, saeculis IV et V scripti, non integri servati sunt, cum maioris eorum partis tam exiguae eaedemque lacerae reliquiae supersint, ut ex illis stemma confici nequeat; ipsi autem saepe inter se discordant, saepe falsas seu corruptas lectiones tradunt, quas ut emendemus ad papyros, si quae in lucem proferantur, vel ad codices deterioris aetatis, Carolinae praecipue, confugiendum est.

At quoniam Vergili opera, cuius nominis fama totum orbem replevit, plurimi saeculis sequentibus lectitarunt pertractarunt imitati sunt, horum omnium testimoniis ad eius verba confirmanda maxime iuvamur. Testes sunt in primis rhetores philosophi poetae rerumque variarum scriptores, qui obiter vel consulto unam alteramve Vergili sententiam tum sermoni suo contexuerunt, tum in libris vel in parietibus Pompeianis laudarunt; quo in numero non neglegendi sunt poetae aevi Carolini, qui in carmina sua saepe Vergiliana verba, ex codicibus antiquitatis et vetustatis non spernendae deprompta, transtulerunt. Deinde testes sunt poetae centonarii, qui Vergilianis versibus vel integris vel dimidiatis in unum consutis poemata confecerunt, quorum princeps et aetate et auctoritate Ausonius habendus est. Tum plurimum adiumenti praebent commentatores, inter quos duo praesertim illi maximi, Donatus et Servius. Verum cum Servius totus aetatem tulerit, Donati commentarius nescio quo fato periit,

si excipias reliquias illas quas cum e scholiis Danielinis, quae vocantur, tum e glossario Ansileubi excerpimus, qui saeculo fere septimo e copiis Donatianis etiam tum superstitibus largiter hausit.

Denique magnos fructus percipimus ex grammaticorum testimoniis, qui cum innumeros ex Vergili operibus locos attulissent, ea in tutelam, ut ita dicam, suam receperunt. Exemplaria enim quae supersunt plerumque corrupta et interpolata sunt, quia librarii alii sive neglegentia sive inscitia orationem parum intellectam non recte describebant verborumque ordinem turbabant, alii verba similia ex suo loco in alienum transferebant, alii pro antiquis formis recentiores sui temporis inculcabant, alii falsa doctrinae opinione ducti dictiones auctoris difficiliores facilioribus permutabant. Huiusmodi vitia tantum non omnia grammaticorum ope tolluntur per eosque non solum orationem Vergili integram saepe restituimus, sed etiam verborum formulas ipsas sive orthographiam ad pristinam sinceritatem revocamus.

Qua de orthographia quidem pauca subicere haud erit a proposito alienum, cum res non minimi momenti sit pauloque implicatior. Quinquagesimo enim fere anno ante C. n. gravis in scriptura perturbatio Romae facta est, cum sonorum vetus consuetudo paulatim relinqueretur novaque reciperetur; quae causa fuit cur scriptores plerumque incerti haererent et alii vetera fidelius servarent alii nova audentius amplecterentur. In iis qui veteri consuetudini magis obsecuti sunt Vergilius procul dubio adnumerandus est, ut Quintiliani testimoniis potissimum patet, quae hic attuli:

« *Unde* pictai vestis (*A. IX 26*) *et* aquai (*VII 464*) *Vergilius amantissimus vetustatis carminibus inseruit* » (*I 7, 18*).

« *Propriis* (*verbis*) *dignitatem dat antiquitas, namque et sanctiorem et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerit usurus, eoque ornamento acerrimi iudicii P. Vergilius unice est usus;* olli *enim et* quianam *et* moerus *et* pone *et* pelligerent *adspergunt illam, quae etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem* » (*VIII 3, 24-25*).

« *Alia commendatio vetustatis, cuius amator unice Vergilius fuit:* vel cum se pavidum contra mea iurgia iactat (*A. XI 406*) *et* progeniem sed enim Troiano a sanguine duci audierat (*I 19*)*: quorum similia apud veteres tragicos comicosque sunt plurima. Illud et in consuetudine remansit* enimvero; *his amplius apud eundem:* nam quis te iuvenum confidentissime (*G. IV 445*), *quo sermonis initium fit; et* (*A. VII 787*) tam magis ille tremens et tristibus effera flammis quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae » (*IX 3, 14*).

In tanta et tam instabili rerum novitate accidit id quod necesse erat, ut singuli scriptores nunc huc se nunc illuc verterent et vel inviti a se ipsi discrepantes constantiam certam in scriptura servare non possent, quod Iuli Caesaris inscriptione (*C. I. L.*, I, *206*), *an. XLV a. C. n., quae legem municipalem tradit, mirum in modum confirmatur. In ea enim hae discrepantiae inveniuntur:* tuerei *et* tueri; advehei *et* vehi; nei *et* ne; nisei *et* nisi; ibei *et* ibi; partei *et* parte;

ieis *et* eis; iei *et* ei; deicere *et* dicere; ubei continente *et* ubi continenti; conscreiptum *et* conscriptos; inveitum *et* invitum; quei *et* qui; tuemdam *et* tuendam; faciumdei *et* reficiundas; iisdem *et* isdem; cooptato *et* coptato; foidere *et* foedere; quom *et* cum; suom *et* suum; maxumam *et* maximam; inmolitom *et* inaedificatum; reficiundas *et* reficiendarum; aput *et* apud; adtribuito *et* accipito; conrectae *et* commutatae.

Quid igitur miremur si Vergilius ipse non ubique constans in scribendo fuerit? Manifestum est enim ab eo quaedam verba metri necessitate variari, cuiusmodi sunt: tum *et* tunc; nihil *et* nil; dextera *et* dextra; navita *et* nauta; aspera *et* aspris; tegumen *et* tegmen; prehensus *et* comprensus; impositus *et* impostus; compositus *et* compostus; porrigitur *et* porgite; vincula *et* vinclo vincla vinclorum vinclis; saecula *et* saeclo saecla saeclorum saeclis; circulus *et* circlos; pericula *et* periclum pericli periclo pericla periclis. *Huc accedunt* Mars *et* Mavors, Martius *et* Mavortius, Tiberis *et* Thybris; Tiberinus *et* Thybrinus; Caerete *et* Caeritis; mapalia *et* magalia.

Variantur autem, ut certis testimoniis scimus, apud eum non metri necessitate sed sive inconstantia sive de industria moerus *et* murus; gnatus *et* natus; olli *et* illi; succipio *et* suscipio; quoi *et* cui; *quibus exemplis addendi sunt accusativi plurales tum in* is *tum in* es *exeuntes. Quare recipiendae sunt aliae complures varietates codicibus traditae, quales sunt:* quom *et* cum; equom *et* ecum; relinquont *et* relincunt; ecfero *et* effero; Thraeicius *et* Threicius;

quadrupes *et* quadripes; clupeus *et* clipeus; lacruma *et* lacrima; manufestus *et* manifestus; inclutus *et* inclitus; maxumus *et* maximus; plurumus *et* plurimus; novissumus *et* novissimus; possimus *et* possumus; dissicit *et* disiecit; haut *et* haud; aput *et* apud; Romanust (*G. III 148*) *et* Romanumst; aspicio *et* adspiro; aggero *et* adglomero; alligo *et* adlabor; colligo *et* conlabor; impar impius *et* inpacatus inplacatus. *Quid quod cum aetate ipsa quorundam vocabulorum formulas mutavit? In B. enim* Thalea *invenitur* (*VI 2*), *in G.* (*II 487*) Spercheos, *in A.* (*V 826*) Thalia; *in G.* (*III 278, 356*) caurus, *in A.* (*V 126*) corus; *in B.* (*VIII 43*) *et G.* (*IV 203*) cotes, *in A.* (*III 699, IV 366, VI 471*) cautes.

In orthographia igitur Vergiliana constituenda codicum testimonia cum grammaticorum et lapidum testimoniis diligenter contuli, scriptionis et antiquitate et varietate, ubicumque par erat, religiose servata.

TESTIMONIA DE VERGILI VITA
EX ANTIQUISSIMIS SELECTA

A) Testimonia Vergili ipsius seu vera seu supposita

a) *Testimonia vera:*

Vergilius.

Buc. IX 7-10 praedii paterni descriptio (1).
» I 1-8; 26; 42-43 de praedio suo a veteranorum decempeda per Octavianum servato.
» IX 2-16 de praedio amisso.
» VI 1-12; V 86-87; IX 21-29 de carmine bucolico condendo, a quo scribendi initium fecerit.
» III 86; IV 1-3; 12-13; VIII 6-13 de Asinio Pollione.
» V 86-87; VI 7-12; IX 26-29 de Alfeno Varo.
» VI 64-66; X 1-3; 70-74 de Cornelio Gallo.
» IX 35-36 de L. Vario Rufo et Helvio Cinna.
» III 90 de Bavio et Maevio (2).
Geo. IV 125-148 de itinere suo Tarentino.
» II 197-199 de Tarento et Mantua.
» IV 566 de Bucolicis suis antea conditis.
» II 173-176 de Georgicis incohatis.
» IV 559-565 de Georgicis ad finem perductis.
» III 1-39; 46-48 de novo rerum Romanarum poemate condendo, in quo tunc narratio ab Augusto usque ad Aenean perducenda erat, deinde ultimis et primis inter se commutatis ab Aenea usque ad Augustum deducta est.
» I 1-5; II 39-41; III 40-41; IV 1-2 de Maecenate.
» I 24-42; 503-504; II 170-172 de Caesare Augusto.
Aen. I prooem. Ille ego- : de Bucolicis et Georgicis suis.

(1) Ad haec adnotat Quintil. (VIII 6, 46-47): Sine translatione (allegoria fit) in Bucolicis...; hoc enim loco praeter nomen propriis decisa sunt verbis, verum non pastor Menalcas, sed Vergilius est intellegendus.

(2) Servi codex L ad Georg. I 210: sane reprehensus Vergilius dicitur a Bavio et Maevio hoc versu: hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.

MACROBIUS, *Sat.* I 24, 11. Ipsius enim Maronis epistula, qua compellat Augustum, ita incipit: = *Ego vero frequentis a te litteras accipio* =, et infra: = *De Aenea quidem meo, si mehercle iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem; sed tanta incohata res est, ut paene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar, cum praesertim ut scis alia quoque studia ad id opus multoque potiora impertiar* =.

AMICI ET FAMILIARES (apud Gell. XVII 10, 2-3). Amici familiaresque P. Vergilii in his, quae de ingenio moribusque eius memoriae tradiderunt, dicere eum solitum ferunt: = *parere se versus more atque ritu ursino. Namque ut illa bestia fetum ederet ineffigiatum informemque lambendoque id postea, quod ita edidisset, conformaret et fingeret, proinde ingenii quoque sui partus recentes rudi esse facie et inperfecta, sed deinceps tractando colendoque reddere iis se oris et vultus liniamenta* =.

AEL. DONATUS, *Vit. Verg.* (p. 59 Reiff.). Cum Georgica scriberet, traditur quotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitus ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde : = *carmen se* < *informe* > *more ursae parere dicens et lambendo demum effingere* =.

ASCONIUS PEDIANUS (apud Ael. Donat. *Vita Verg.*, p. 66 Reiff.). Asconius Pedianus libro quem contra obtrectatores Vergilii scripsit pauca admodum ei proponit eaque circa historiam fere et quod pleraque ab Homero sumpsisset, sed hoc ipsum crimen sic defendere assuetum ait: = *cur non illi quoque eadem furta temptarent? verum intellecturos facilius esse Herculi clavam quam Homero versum subripere* =.

HIERONYMUS, *Praef. Hebr. quaes. in Genesim* III, p. 301 Vall. Hoc idem passus est ab aemulis et Mantuanus vates, ut cum quosdam versus Homeri transtulisset ad verbum, compilator veterum diceretur; quibus ille respondit: = *magnarum esse virium clavam Herculi extorquere de manu* =.

AEL. DONATUS, *Vita Verg.* p. 60 Reiff. Ne quid impetum moraretur quaedam inperfecta transmisit, alia levissimis verbis veluti fulsit, quae per iocum = *pro tibicinibus interponi* = aiebat = *ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent* =.

b) *Testimonia supposita:*

Cornutus (apud Filargir. *ad Buc.* III 105). Dicit Cornutus ab ipso Virgilio audisse, quod Caelium Mantuanum quendam tetigit, qui consumptis omnibus facultatibus nihil sibi reliquit, nisi locum trium ulnarum spatium ad sepulturam.

Asconius Pedianus (apud Filargir. *ad Buc.* III 105; item apud schol. Bern. ibidem). Asconius Pedianus ait, se audisse Virgilium dicentem, in hoc loco se grammaticis crucem fixisse: quaesituros eos si quid studiosius occuleretur. Dicit autem propter Caelium Mantuanum.

Valerius Probus, *Vita Verg.* Cuius (Vergili) sepulcro hoc legitur epigramma:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua rura duces.

Hieronymus, *ad olymp.* 190, 2: Ossa eius (Vergili)... sepeliuntur titulo istius modi suprascripto, quem moriens ipse dictaverat *Mantua me genuit* etc.

Catalepton 1.

De qua saepe tibi, venit; sed, Tucca, videre
non licet; occulitur limine clausa viri.
De qua saepe tibi, non venit adhuc mihi; namque
si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.
Venerit: audivi; sed iam mihi nuntius iste
quid prodest? illi dicite, quoi rediit!

1, 6 *quoi*] *qui* vel *que* codd.

Catalepton 2.

Corinthiorum amator iste verborum,
iste iste (rhetor namque), quatenus totus
Thucydides, tyrannus Atticae febris,
tau Gallicum, min et spin et «male illi sit»:
ista, omnia ista verba miscuit fratri.

2 cf. Quintil. VIII 3, 28.

Catalepton 3.

Aspice, quem valido subnixum gloria regno
altius et caeli sedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem,
hic reges Asiae fregerat, hic populos;
hic grave servitium tibi iam, tibi, Roma, ferebat
(cetera namque viri cuspide conciderant),
cum subito in medio rerum certamine praeceps
corruit, e patria pulsus in exilium.
Tale deae numen, tali mortalia nutu
fallax momento temporis hora adedit.

3, 1 *quem* scil. Cn. Pompeium Magnum neque alium priorum quempiam, nam viri omnes, qui in epigrammatis memorantur, Vergili aequales fuerunt. 10 *adedit* ego, *dedit* codd.

Catalepton 4.

Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,
tangere quas terras quosque videre homines,
dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
Alter enim qui te dulcior esse potest,
cui iuveni ante alios divi divomque sorores
cuncta neque indigno, Musa, dedere bona,
cuncta quibus gaudet Phoebi chorus ipseque Phoebus?
doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
o quis te in terris loquitur iucundior uno?
Clio nam certe candida non loquitur!
Quare illud satis est, si te permittis amari;
nam contra, ut sit amor mutuus, unde mihi?

4, 6 *musa* Ald., *multa* codd.

Catalepton 5.

Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae,
inflata roso non Achaico verba;
et vos, Selique Tarquitique Varroque,
scholasticorum natio madens pingui,
ite hinc, inane cymbalon iuventutis;
tuque o mearum cura, Sexte, curarum
vale, Sabine; iam valete, formosi:
nos ad beatos vela mittimus portus,
magni petentes docta dicta Sironis,
vitamque ab omni vindicabimus cura.

Ite hinc, Camenae, vos quoque ite iam sane,
dulces Camenae (nam fatebimur verum,
dulces fuistis); et tamen meas chartas
revisitote, sed pudenter et raro.

Catalepton 6.

Socer, beate nec tibi nec alteri,
generque Noctuine, putidum caput,
tuoque nunc puella talis et tuo
stuprone pressa rus abibit? ei mihi,
ut ille versus usquequaque pertinet:
« Gener socerque, perdidistis omnia » !

6, 4 *stuprone* ego, *stupore* codd.

Catalepton 7.

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
 dispeream, nisi me perdidit iste pōtus.
Sin autem praecepta vetant me dicere, sane
 non dicam, sed me perdidit iste puer.

Catalepton 8.

Villula, quae Sironis eras, et pauper agelle,
 verum illi domino tu quoque divitiae,
me tibi et hos una mecum, quos semper amavi,
 si quid de patria tristius audiero,
commendo, in primisque patrem; tu nunc eris illi,
 Mantua quod fuerat quodque Cremona prius.

Catalepton 9.

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phoebo,
 pauca mihi, doctae, dicite, Pegasides.
Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi,
 victor qua terrae quaque patent maria,
horrida barbaricae portans insignia pugnae,
 magnus ut Oenides utque superbus Eryx.
Nec minus idcirco vestros expromere cantus
 maximus et sanctos dignus inire choros.
Hoc itaque insuetis iactor magis, optime, curis,
 quid de te possim scribere quidve tibi;

namque (fatebor enim) quae maxima deterrendi
  debuit, hortandi maxima causa fuit.
Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
  carmina cum lingua, tum sale Cecropio,
carmina, quae Phrygium, saeclis accepta futuris,
  carmina, quae Pylium vincere digna senem.
Molliter hic viridi patulae sub tegmine quercus
  Moeris pastores et Meliboeus erant,
dulcia iactantes alterno carmina versu,
  qualia Trinacriae doctus amat iuvenis.
Certatim ornabant omnes heroida divi,
  certatim divae munere quaeque suo.
Felicem ante alias o te scriptore puellam!
  altera non fama dixerit esse prior:
non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
  quae volucrem cursu vicerat Hippomenen,
candida cycneo non edita Tyndaris ovo,
  non supero fulgens Cassiopea polo,
non defensa diu et multum certamine equorum,
  optabant Graiae quam sibi quaeque manus,
saepe animam generi pro qua pater impius hausit,
  saepe rubrae similis sanguine fluxit humus;
regia non Semele, non Inachis Acrisione,
  immiti expertae fulmine et imbre Iovem;
non cuius ob raptum pulsi liquere penates
  Tarquinii patrios, filius atque pater,
illo quo primum dominatus Roma superbos
  mutavit placidis tempore consulibus.
Multa, neque immeritis, donavit praemia alumnis,
  praemia Messallis maxima Publicolis.
Nam quid ego immensi memorem studia ista laboris?
  horrida quid durae tempora militiae?
castra foro, castra, huic urbi praeponere castra,
  tam procul hoc gnato, tam procul hac patria?
immoderata pati iam sidera iamque calores?
  sternere vel dura posse super silice?
saepe trucem adverso perlabi sidere pontum?
  saepe mare audendo vincere, saepe hiemem?
saepe etiam densos immittere corpus in hostes,
  communem belli non meminisse deum?

nunc celeris Afros, periurae milia gentis,
  aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
nunc aliam ex alia bellando quaerere gentem,
  vincere et Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est tantas, non, inquam, attingere laudes,
  quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.
Ipsa haec, ipsa ferent rerum monumenta per orbem,
  ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quae tecum finxerunt carmina divi,
  Cynthius et Musae, Bacchus et Aglaie,
si laude aspirare humili, si adire Cyrenas,
  si patrio Graios carmine adire sales
possumus, optatis plus iam procedimus ipsis:
  hoc satis est; pingui nil mihi cum populo.

9, 29 *et* ego, om. codd. | 30 *grauidae* codd. | *quam* Laetus, *quod* codd. | 32 *rubrae* Ellis, *rubro* codd. | 34 *expertae* Scaliger, *expectat* codd. | 43 *huic* ego, om. codd. | 61 *laude* Bährens, *laudem* codd. | 61 *humili* ego, *humilis* codd.

Catalepton 10.

Sabinus ille, quem videtis, hospites,
ait fuisse mulio celerrimus,
neque ullius volantis impetum cisi
nequisse praeterire, sive Mantuam
opus foret volare sive Brixiam.
Et hoc negat Tryphonis aemuli domum
negare nobilem insulamve Caeruli,
ubi iste post Sabinus, ante Quinctio,
bidente dicit attodisse forcipe
comata colla, ne Cytorio iugo
premente dura volnus ederet iuba.
Cremona frigida et lutosa Gallia,
tibi haec fuisse et esse cognitissima
ait Sabinus: ultima ex origine
tua stetisse dicit in voragine,
tua in palude deposisse sarcinas
et inde tot per orbitosa milia
iugum tulisse, laeva sive dextera
strigare mula sive utrumque coeperat
. . . .
neque ulla vota semitalibus deis

sibi esse facta praeter hoc novissimum,
paterna lora proximumque pectinem.
Sed haec prius fuere: nunc eburnea
sedetque sede seque dedicat tibi,
gemelle Castor et gemelle Castoris.

Catalepton 11.

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an quae
dicunt a! nimio pocula ducta mero?
« Vobiscum, si est culpa, bibi: sua quemque secuntur
fata: quid immeriti crimen habent cyathi »?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te
raptum et Romanam flebimus historiam.
Sed tu nullus eris. Perversi, dicite, manes,
hunc superesse patri, quae fuit invidia?

11, 2 *ducta* Heinsius, *dura* codd.

Catalepton 12.

Superbe Noctuine, putidum caput,
datur tibi puella, quam petis, datur;
datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, non vides
duas habere filias Atilium:
duas, et hanc et alteram, tibi dari?
Adeste nunc, adeste: ducit (ut decet)
superbus ecce Noctuinus hirneam.
Thalassio! Thalassio! Thalassio!

Catalepton 13.

Iacere me, quod alta non possim, putas,
ut ante vectari freta
nec ferre durum frigus aut aestum pati
neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira et antiquus furor
Et lingua, qua adsim tibi:
seu prostitutae turpe contubernium
sororis (o quid me incitas,
quid, impudice et improbande Caesari?)
seu furta dicantur tua

et helluato sera patrimonio
  in fratre parsimonia
vel acta puero cum viris convivia
  udaeque per somnum nates
et inscio repente clamatum insuper
  « Thalassio! Thalassio! »
Quid palluisti, femina? an ioci dolent?
  an facta cognoscis tua?
Non me vocabis spurca per Cotyttia
  ad feriatos fascinos,
nec deinde lumbos te movere in caltula
  prensis videbo altaribus
flavomque propter Thybrim olentis nauticum
  vocare, ubi adpulsae rates
stant in vadis caeno retentae sordido
  macraque luctantes aqua;
neque in culinam et uncta compitalia
  dapesque duces sordidas,
quibus repletus et salivosis aquis
  obesam ad uxorem redis
et aestuantes dote solvis pantices
  obscisque lambis saviis.
Nunc laede, nunc lacesse, si quicquam vales!
  et nomen adscribo tuum.
Cinaede Lucci, iamne liquerunt opes
  fameque genuini crepant?
Videbo habentem praeter ignavos nihil
  fratres et iratum Iovem
scissumque ventrem et hirneosi patrui
  pedes inedia turgidos.

13, 7 *sen* ego, *et* codd. | 19 *spurca* Haupt, *pulcra* codd. | 21 *caltula* Ribbeck, *ratulam* ve *rotulam* codd. | 29 *et* ego, *ut* codd. | 32 *obscis* (i. q. obscenis) ego, (cf. Ansileub. O B 492 « *obscum :* turpe, ludum impudicum »), *osiculis* vel *osus* codd.

Catalepton 14.

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
  o Paphon, o sedes quae colis Idalias,
Troius Aeneas Romana per oppida digno
  iam tandem ut tecum carmine vectus eat,
non ego ture modo aut picta tua templa tabella
  ornabo et puris serta feram manibus:

corniger hos aries humilis et maxima taurus
  victima sacratos sparget honore focos,
marmoreusque tibi aut mille coloribus ales
  in morem picta stabit Amor pharetra.
Adsis, o Cytherea: tuus te Caesar Olympo
  et Surrentini litoris ara vocat.

14, 3-4 cum haec scripta sunt Troius Aeneas iam Romana per oppida vectus ibat.

Catalepton 15.

Vate Syracosio qui dulcior Hesiodoque
  maior, Homereo non minor ore fuit,
illius haec quoque sunt divini elementa poetae
  et rudis in vario carmine Calliope.

Culex 1-10; 24-26.

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia,
atque ut araneoli tenuem formavimus orsum.
Lusimus: haec propter Culicis sint carmina ducta;
omnis et historiae per ludum consonet ordo
notitiaeque ducum voces. Licet invidus adsit,
quisquis erit, culpare iocos Musamque paratus,
pondere vel culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus,
ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
. . . .
Et tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere coeptis,
sancte puer...

3 *haec propter* i. e. propterea, per lusum | *ducta* ego, *docta* vel *dicta* codd. | 4-5 *historiae notitiaeque ducum* i. e. carmini heroico; sed per ludum, nempe ut sit quaedam poematis parodia | *voces* scil. verba, supple *consonent*.
24 *chartis* scil. tuis.

Ciris 1-11; 44-46; 54-61; 92-94; 99-100.

Etsi me vario iactatum laudis amore
inritaque expertum fallacis praemia volgi
Cecropius suavis exspirans hortulus auras
florentis viridi sophiae complectitur umbra;
tum mens, quae certet dignum sibi quaerere carmen,
longe aliud studium atque alios accincta labores,
altius ad magni suspexit sidera mundi

et placitum paucis ausa est ascendere collem:
non tamen absistam coeptum detexere munus,
in quo iure meas utinam requiescere Musas
et leviter blandum liceat deponere amorem.

. . . .

...Haec tamen interea quae possumus, in quibus aevi
prima rudimenta et iuvenes exegimus annos,
accipe dona meo multum vigilata labore.

. . . .

...Complures illam magni, Messalla, poetae,
nam verum fateamur, amat Polyhymnia verum,
longe alia perhibent mutatam membra figura
Scyllaeum monstro saxum infestare voraci;
illam esse aerumnis quam saepe legamus Ulixi
« candida succinctam latrantibus inguina monstris
« Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
« deprensos nautas canibus lacerasse marinis ».

. . . .

...Quare quae cantus meditanti mittere certos 92
magna mihi cupido tribuistis praemia, divae
Pierides...

. . . .

praecipue nostro nunc adspirate labori
atque novom aeterno praetexite honore volumen.

5 *tum-certet* ego, *tum ea quaeret eo* codd.

54 *illam* scil. Scyllam | 57 sic Haupt, variant codd.

59-61 His isdem tribus versibus narrat Vergilius (B. VI 75-77) eam Scyllae fabulam quam Ciris auctor tam aperte hic vehementerque refutat. Quis igitur credat Vergilium ipsum Cirin scripsisse? Iudaeus Apella. Poeta hic, quisquis fuit, Vergili scriniis compilatis centonem non sine quadam elegantia consutum concinnavit.

B) Testimonia aequalium

Horatius.

C. I 3, 1-8.

Sic te, diva potens Cypri,
sic fratres Helenae, lucida sidera,
ventorumque regat pater
obstrictis aliis praeter Iapyga,
navis, quae tibi creditum
debes Vergilium finibus Atticis:
reddas incolumem precor
et serves animae dimidium meae.

C. I 24, 5-12.

Ergo Quintilium perpetuus sopor
urguet? cui Pudor et Iustitiae soror,
incorrupta Fides, nudaque Veritas
quando ullum inveniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit,
nulli flebilior quam tibi, Vergili.
Tu frustra pius heu non ita creditum
poscis Quintilium deos.

Sat. I 3, 29-34.

Iracundior est paulo, minus aptus acutis
naribus horum hominum; rideri possit eo, quod
rusticius tonso toga defluit et male laxus
in pede calceus haeret: at est bonus, ut melior vir
non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
inculto latet hoc sub corpore.

Ad hunc locum adnotat ps. Acron: « hic dicitur pulsare Virgilium, quia indecori et corporis et habitus fuit ».

Sat. I 5, 39-44; 47-49.

Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque
occurrunt, animae, qualis neque candidiores
terra tulit neque quis me sit devinctior alter.
O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!
nil ego contulerim iucundo sanus amico.
. . . .
...Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Lusum it Maecenas, dormitum ego Vergiliusque:
namque pila lippis inimicum et ludere crudis.

49 De *crudis* cf. Porphyr. « Se lippum dixerat (v. 30); ergo crudum Vergilium intellegamus, quia videtur singula singulis adsignasse »; quod confirmat Ael. Donatus *Vita Verg.* (p. 56 Reiff.) « plerumque a stomacho... laborabat ».

Sat. I 6, 54-55 ad Maecenatem.

Nulla etenim mihi te fors obtulit; optimus olim
Vergilius, post hunc Varius dixere quid essem.

Sat. I 10, 44-45, 81-83.

molle atque facetum
Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.

Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque.

45 Gaudentes rure Camenae, scil. rustica musa (Verg. B. III 84), sunt bucolicae.

Epist. II 1, 245-247 ad Augustum.

At neque dedecorant tua de se iudicia atque
munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
dilecti tibi Vergilius Variusque poetae.

Propertius.

II 34, 59-80.

Me iuvet hesternis positum languere corollis,
  quem tetigit iactu certus ad ossa deus,
Actia Vergilium custodis litora Phoebi,
  Caesaris et fortis dicere posse rates:
qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma
  iactaque Lavinis moenia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Grai:
  nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi supter pineta Galaesi
  Thyrsin et attritis Daphnin arundinibus
utque decem possint corrumpere mala puellas,
  missus et impressis haedus ab uberibus.
Felix qui viles pomis mercaris amores!
  huic, licet ingratae, Tityrus ipse canat.
Felix intactum Corydon qui temptat Alexin,
  agricolae domini carpere delicias!
Quamvis ille sua lassus requiescat avena,
  laudatur facilis inter hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
  quo seges in campo, quo viret uva iugo.
Tale facis carmen, docta testudine quale
  Cynthius impositis temperat articulis.

Ovidius.

Tr. IV 10, 51.

Vergilium vidi tantum.

Am. I 15, 25-26:

Tityrus et fruges Aeneïaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

Art. Amat. III 337-338:

Et profugum Aenean, altae primordia Romae,
quo nullum Latio clarius exstat opus.

Tr. II 533-538 ad Augustum:

Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor
contulit in Tyrios « arma virumque » toros;
nec legitur pars ulla magis de corpore toto,
quam non legitimo foedere iunctus amor.
Phyllidis hic idem teneraeque Amaryllidis ignis
bucolicis iuvenis luserat ante modis.

Caesar Augustus (apud Ael. Donat. *Vita Verg.* p. 61 Reiff.).

Augustus vero, nam forte expeditione Cantabrica aberat, supplicibus atque etiam minacibus per iocum litteris efflagitaret ut sibi de Aeneide, ut ipsius verba sunt = *vel prima carminis hypographe vel quodlibet colon mitteretur* =.

Idem (apud Priscian. X 43).

Caesar ad Vergilium = *excucurristi a Neapoli* =.

Cf. C. Cichorius *Römische Studien*, Teubner 1922, p. 269-71.

Varius (apud Quintil. X 3, 8).

Vergilium quoque paucissimos die composuisse versus auctor est Varius.

Maecenas (apud Serv. ad A. VIII 310 *facilis oculos*).

Hoc etiam Maecenas in Symposio ubi Vergilius et Horatius interfuerunt, cum ex persona Messalae de vino loqueretur ita = ut idem umor ministrat faciles oculos, pulchriora reddit omnia et dulcis iuventae reducit bona =.

Iulius Montanus (apud Ael. Donat. *Vita Verg.* p. 61 Reiff.).

Seneca tradidit Iulium Montanum poetam solitum dicere = involaturum se Vergilio quaedam si et vocem posset et os et hypocrisin: eosdem enim versus ipso pronuntiante bene sonare, sine illo inanes esse mutosque =.

C. Melissus (apud Ael. Donat. *Vita Verg.* p. 58 Reiff.).

Nam et in sermone tardissimum ac paene indocto similem (Vergilium) fuisse Melissus tradidit.

Staberius Eros (apud Ael. Donat. *Vita Verg.* p. 62 Reiff.).

Erotem librarium et libertum eius exactae iam senectutis tradunt referre solitum, quondam eum in recitando duos dimidiatos versus complesse ex tempore; nam cum hactenus haberet « Misenum Aeoliden » (A. VI 164) adiecisse « quo non praestantior alter »; item huic « aere ciere viros » simili calore elatum subiunxisse « Martemque accendere cantu », statimque sibi imperasse ut utrumque volumini adscriberet.

Idem fere Serv. ad A. VI 165.

Seniores (apud Ael. Donat. *Vita Verg.* p. 64 Reiff.).

Nisus grammaticus audisse se a senioribus aiebat, Varium duorum librorum ordinem commutasse et qui nunc secundus sit in tertium locum transtulisse; etiam primi libri correxisse principium his versibus demptis « Ille ego - Martis ».

Plotia Hieria (apud Ael. Donat. *Vita Verg.* p. 57 Reiff.).

Vulgatum est consuesse eum et cum Plotia Hieria; sed Asconius Pedianus adfirmat ipsam postea maiorem natu narrare solitam, = invitatum (Vergilium) quidem a Vario ad communionem sui (scil. Hieriae), verum pertinacissime recusasse =.

C) Testimonia posteriorum usque ad Domitiani tempora

Valerii Probi, *Vita Vergili.*

P. Vergilius Maro natus idibus octobris Crasso et Pompeio consulibus matre Magia Polla, patre Vergilio rustico, vico Andibus qui abest a Mantua milia passuum XXX, tenui facultate nutritus. Sed cum iam summis eloquentiae doctoribus vacaret, in belli civilis tempora incidit, quod Augustus adversus Antonium gessit primumque post Mutinense bellum *** veteranis, postea restitutus beneficio Alfeni Vari, Asinii Pollionis et Cornelii Galli, quibus in Bucolicis adulatur; deinde per gratiam Maecenatis in amicitiam Caesaris ductus est. Vixit pluribus annis liberali in otio, secutus Epicuri sectam, insigni concordia et familiaritate usus Quintilii (Cremonensis), Tuccae et Varii. Scripsit Bucolica annos natus

VIII et XX, Theocritum secutus, Georgica Hesiodum et Varronem. Aeneida ingressus bello Cantabrico, hanc quoque ingenti industria ** ab Augusto usque ad sestertium centies honestatus est. Decessit in Calabria annum agens quinquagesimum et primum heredibus Augusto et Maecenate cum Proculo minore fratre; cuius sepulcro, quod est in via Puteolana, hoc legitur epigramma: *Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc | Parthenope : cecini pascua rura duces.*

Aeneis servata ab Augusto, quamvis ipse testamento cavisset, ne quid eorum, quae non edidisset, exstaret.

PROBI, *Commentarius in Virgilium* (p. 329 Hagen).

Cum certum sit, ut Asconius Pedianus dicit, XXVIII annos natum Bucolica edidisse.

PLINIUS, *N. H.* VII 114.

Divus Augustus carmina Vergili cremari contra testamenti eius verecundiam vetuit.

ANNAEUS SENECA (senior) *Controv.* III 8.

Vergilium illa felicitas ingenii in oratione soluta reliquit.

C. CALIGULA (apud Sueton. *Calig.* 34).

Et Vergilii ac T. Livii scripta et imagines paulum afuit ex omnibus bibliothecis amoveret, quorum alterum ut nullius ingenii minimaeque doctrinae, alterum ut verbosum in historia neglegentemque carpebat.

ASINIUS GALLUS (apud Serv. Dan. ad B. IV 11).

Asconius Pedianus a Gallo audisse se refert hanc eclogam in honorem eius factam.

DIALOGUS DE ORATORIBUS XIII: loquitur Maternus.

Malo securum et quietum Vergilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti epistulae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus est sic quasi Augustum.

Huc adde Ael. Donat. (*Vita Verg.* p. 60 Reiff.): = Bucolica eo successu edidit, ut in scaena quoque per cantores crebro pronuntiarentur = ; et quod, ut Servius narrat (B. VI 11), quidam commentatores de Cicerone post auditam in theatro Eclogam VI hariolati sunt.

Laus Pisonis 230-235.

Ipse per Ausonias Aeneia carmina gentes
qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum
Maeoniumque senem Romano provocat ore,
forsitan illius nemoris latuisset in umbra
quod canit et sterili tantum cantasset avena
ignotus populis, si Maecenate careret.

Lucanus (apud Sueton. p. 50 Reiff.).

... Ut praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans ausus sit (Lucanus) dicere: = et quantum mihi restat ad Culicem =.

Papinius Statius.

Silv. I prooem.

Sed et Culicem legimus et Batrachomachiam etiam agnoscimus, nec quisquam est illustrium poetarum qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit.

Silv. II 7, 73-74 (Lucanum alloquitur).

Haec primo iuvenis canes sub aevo,
ante annos Culicis Maroniani.

Silv. IV 4, 54 55.

Maroneique sedens in margine templi
sumo animum et magni tumulis adcanto magistri.

Martialis

I 61, 2.

Marone felix Mantua est.

XIV 195.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
quantum parva suo Mantua Vergilio.

I 107, 3-4.

Otia da nobis, sed qualia fecerat olim
Maecenas Flacco Vergilioque suo.

VIII 56, 5-20.

Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones
  Vergiliumque tibi vel tua rura dabunt.
Iugera perdiderat miserae vicina Cremonae,
  flebat et abductas Tityrus aeger oves:
risit Tuscus eques paupertatemque malignam
  reppulit et celeri iussit abire fuga.
« Accipe divitias et vatum maximus esto;
  tu licet et nostrum » dixit « Alexin ames ».
Adstabat domini mensis pulcherrimus ille
  marmorea fundens nigra Falerna manu
et libata dabat roseis carchesia labris,
  quae poterant ipsum sollicitare Iovem.
Excidit attonito pinguis Galatea poetae,
  Thestylis et rubras messibus usta genas.
Protinus « Italiam » concepit et « arma virumque »,
  qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.

12 Alii Alexin Vergilio non a Maecenate sed a Pollione donatum tradunt (Ael. Donat. *Vita Verg.* p. 57 Reiff., Serv. ad B. II 1 et 15, Apul. *Apolog.* 10).

IV 14, 13-14.

Sic forsan tener ausus est Catullus
magno mittere Passerem Maroni.

At cum Catullus Passerem edidit Vergilius vix, puto, annos decem natus erat.

XII 67 ad Silium.

Maiae Mercurium creastis idus,
augustis redit idibus Diana,
octobres Maro consecravit idus.
Idus saepe colas et has et illas,
qui magni celebras Maronis idus.

XI 48, 1.

Silius haec magni celebrat monumenta Maronis.

XI 49.

Iam prope desertos cineres et sancta Maronis
  nomina qui coleret pauper et unus erat.
Silius orbatae succurrere censuit umbrae,
  Silius et vatem, non minor ipse, colit.

PLINIUS, *Epist.* III 7, 8. Multum imaginum (Silius possidebat), quas non habebat modo, verum etiam venerabatur, Vergilii ante omnes, cuius natalem religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monimentum eius adire ut templum solebat.

INDEX CODICUM ET SUBSIDIORUM

CODICES MAIORES

A = codex Augusteus, saec. IV p. C. n. scriptus, omnium Vergilianorum codicum antiquissimus; foliis octo tantum constat, quorum quattuor Romae in bibliotheca Vaticana (Vatic. lat. 3256), tria Berolini in imperii bibliotheca (2°, 416) servantur, unum in Gallia penes gentem Rosanbo latet. Exarata sunt folia litteris quadratis ductus elegantis, sed ita structis ut iam nonnumquam ductum rusticum referant. Littera cuiusque paginae prima et ceteris multo maior est et coloribus distincta. Scriptura caret verborum divisione et commatum distinctione neque quisquam posteriore aetate in ea corrigenda versatus est. Folia continent Georgicon fragmenta et versus quattuor Aeneidos (IV 302-305).

Ubi descriptus sit codex ignoratur; aevo medio in monasterium sancti Dionysii prope Parisios receptus est; Parisiis autem Romam folia quattuor a. MDLXXIV et sequenti Claudius Puteanus (Dupuy) ad Fulvium Ursinum transmisit, a quo bibliotheca Vaticana hereditatis iure accepit; folia tria Berolinensia Hagae Comitum in auctione venalia anno MDCCCLXII redemit G. H. Pertz.

Scripturae specimina protulerunt E. CHATELAIN, *Paléographie des classiques latins*, tab. 64, p. 18 (G. I 277-299); F. EHRLE et P. LIBAERT, *Specimina codicum latinorum*, Bonnae 1912, iterum Lipsiae et Berolini 1927, tab. 1, p. IX; F. STEFFENS, *Lateinische Paläographie*, 2. Aufl. tab. 12 (G. I 61-74); ZANGEMEISTER-WATTENBACH, *Exempla codicum latin. litteris maiusculis scriptorum*, tab. 14, p. 3-4 (G. I 101-120).

Folia Berolinensia edidit G. H. PERTZ, *Monatsberichte der k. Preuss. Akad. der Wiss. zu Berlin*, 1864, p. 276-281; totum codicem edendum curavit bibliotheca Vaticana : *Codicis Vergiliani qui Augusteus appellatur reliquiae quam simillime expressae. Ad Vergili natalem MM celebrandum bibliotheca Vaticana contulit, praefatus est Remigius Sabbadini.* Augustae Taurinorum apud Rosenberg et Sellier bibliopolas, MDCCCCXXVI.

Ipse contuli. Nonnullis locis interpolatione depravatus est.

G = codex Sangallensis (1394) litteris quadratis ductus elegantis saec. IV scriptus. Folia undecim tantum supersunt, quorum tria rescripta, in aliis ita ductus evanidus est, ut nil iam paene legatur; fragmenta Georgicon et Aeneidos complectuntur. Scriptura caret verborum divisione; corrector (G^1) commata apicibus distinxit.

Scripturae specimina protulerunt CHATELAIN, tab. 62 (A. VI 688-705) et STEFFENS, tab. 10 (A. I 704-721). Cf. L. TRAUBE, *Vorlesungen und Abhandlungen*, München, 1909, I, p. 161.

Lectiones ex OTTONIS RIBBECK editione (a. MDCCCLIX) sumpsi.

V = codex Veronensis (XL, 38), rescriptus. Litterae inferiores, quadratae ductus elegantis, pertinent ad saec. IV, superiores ad IX. Supersunt folia unum et quinquaginta, quorum scriptura ita litteris superioribus obscurata et lotionibus chemicis corrosa est, ut vix legi possit. Continent Bucolicon Georgicon Aeneidos fragmenta; margines praeterea repleti sunt scholiis. Codex ex monasterio Bobiensi originem duxit (RIBBECK, *Prolegom.*, p. 226-27).

Scripturae specimen edidit CHATELAIN, tab. 75, 1.

Lectiones ex OTTONIS RIBBECK editione (a. MDCCCLIX) sumpsi.

B = codex Mediolanensis (Ambrosianae bibliothecae), membranis centum et quadraginta saec. XI vel XII scriptis compactus. Ex Syria sive Aegypto oriundus est, totus arabicus; at eius membranae octo sub scriptura arabica minuscula litteris uncialibus saec. vel IV ex. vel V in. latine et graece exaratae sunt, quod de nullo adhuc codice palimpsesto compertum habemus. Traditi sunt membranis illis uncialibus versus unus et octoginta libri Aeneidos primi (588-608, 649-668, 689-708, 729-748) graece verbum ex verbo a quopiam Graeco homine, in Aegypto morante, linguae Latinae addiscendae causa conversi iidemque ita binis columnis distributi, ut latini laevam, graeci dextram teneant.

Codicis condicionem et fata illustravit, versus edidit, scripturae specimina protulit IOHANNES GALBIATI, *Vergilius latine et graece apud Arabas* (*Aevum*, Mediolani 1927, I, p. 49-72).

Ipse inspexi et contuli.

F = Fulvii Ursini schedae bibliothecae Vaticanae (Vatic. lat. 3225), litteris quadratis ductus rustici saec. IV scriptae et picturis ornatae. Codicis supersunt folia tantum 75. Amisit Buc.

omnino, Georgicon priores libros duos, Aeneidos postremos tres, exceptis libri XI versibus octo et triginta; in reliquis quoque partibus gravem iacturam fecit. Is, ut aliquot indiciis erui posse opinatus sum (*Rivista di filologia* **46**, 1918, p. 397-410), ex Hispania Aragonensi et Catalaunensi originem duxit, unde Neapolim vexit Catalaunorum quispiam hominum doctrina praestantium, ut Iohannes Olzina, ut Chariteus, qui in regum Aragonensium aula versabantur. Utcumque est, Neapoli eum primum possedit Iohannes Iovianus Pontanus; deinde ad manum habuerunt Petrus Bembus eiusque filius Torquatus, qui anno MDLXXIX Fulvio Ursino vendidit. Demum mense ianuario a. MDCXII in bibliothecam Vaticanam una cum omnibus Fulvii libris translatus est.

Totus codex ad similitudinem editus est eo volumine quod inscribitur *Fragmenta et picturae Vergiliana codicis Vatic.* 3225 *phototypice expressa,* Romae 1899, ubi distincte et copiose eius et forma describitur et fata narrantur.

Codex caret verborum divisione et distinctione. Orationi emendandae multi operam navarunt. F^1, librarii aetati proximus, textum distinxit et correxit, alio exemplari adhibito, F^2 aliquanto posterior emendavit et ad orationis circuitus maiores separandos paragraphos addidit. F^3 unus vel plures correctores significantur, multo posteriores, qui rudi scriptura vel ductu unciali utuntur, F^4 correctores aevi carolini, F^5 correctores renatarum litterarum aetate; f saec. X addidit versus A. IV 93-120.

Ipse iterum iterumque inspexi et contuli. Optimae notae codex est neque adeo gravibus interpolationibus inquinatus.

R = codex Romanus bibliothecae Vaticanae (Vatic. lat. 3867) litteris quadratis ductus rustici saec. V scriptus et picturis ornatus. Complectitur Buc., Geo., Aen., sed horum operum nullum integrum; graviorem iacturam in Aeneide passus est. Ex Galliae monasterio S. Dionysii prope Parisios, in quo usque fortasse a saec. VIII, certe quidem a XIII deversabatur, Romam translatus est Sixto IV papa in bibliothecam Vaticanam ibique primus vel in primis inspexit anno MCCCCLXXXIV Angelus Politianus.

Scripturae exempla apud Chatelain, tab. 65 (A. I 253-270) et Steffens, tab. 16 (B. II 5-25). Picturae editae sunt Romae a. MCMII: *Picturae ornamenta, complura scripturae specimina codicis Vatic.* 3867 *qui codex Vergilii Romanus audit phototypice expressa consilio et opera curatorum biblioth. Vaticanae.* L. Traube, *Das Alter des cod. Ro-*

manus des Virgil (*Vorlesungen und Abhandlungen* III, p. 213-220); R. Sabbadini, *Le scoperte dei codici latini e greci.* Firenze 1905, p. 154.

Caret verborum divisione et distinctione. Librarius dum scribit apice saepius notavit interiectionem *o* multasque lectiones radendo correxit, non illas quidem ex alio codice sumptas, sed ex ipso exemplo denuo et diligentius inspecto inlatas; quare rasuras notandas fere non censui. Post descriptum volumen nescio quis singula verba punctis distinxit, saepius ineptissime, quod vel uno exemplo demonstratur; ad A. enim I 426 *magistratusque* trifariam divisit: *magis . erat. usque .* Is munus suum usque ad A. V 80 (f. 114) exercuit. Eum proxime secutus est corrector R^1, qui cum ad G. I 47 et 55 *uoti* in *uotis* et *arbore* in *arborei* emendavit, post *uoti* et *arbore* puncta invenerat. R^1 litteras quadratas eleganter exarabat; posterius in corrigendo versati sunt R^3 atramento nigriore usus, R^4 litteris uncialibus, R^5 litteris minusculis carolinis.

Ipse inspexi et contuli ex eoque plura quam ceteri editores consueverunt recepi.

P = codex Vaticanus Palatinus 1631, litteris quadratis ductus rustici exaratus. Amisit folia duo et triginta unaque cum illis versus 1428, qui ad Buc., Geo., Aen. pertinebant. Sed plurimi alii versus perierunt, praesertim in libris I, II, III Aeneidis, vel quia aliquarum membranarum vix laciniae servatae sunt vel quia in aliis scripturae lineamenta ita sunt madore deleta ut vel parum vel plane nihil iam legi possit.

In codicis aetate definienda mirum quantum viri rei palaeographicae periti discrepant. Ego vero vel hoc uno fretus argumento, quod in librorum cum principio tum fine notae illae *incipit* et *explicit,* quae in M et R inveniuntur, nusquam comparent, statuerim eum saeculo IV tribuendum. Unde autem originem duxerit, prorsus ignoramus; illud tantum adfirmare licet, ineunte iam saec. IX in celeberrimo Laureshamensi Germaniae monasterio obversatum esse, ubi a monachis illis summa veneratione coleretur, quod a Vergilio ipso scriptum putarent, ut Sebastianus Münster testatus est, qui eum anno ferme MDXXV prae manibus habuit. Anno deinde fere eiusdem saeculi LVIII Otto Henricus comes Palatinus idemque sagacissimus librorum indagator Heidelbergam in bibliothecam suam una cum reliquis Laureshamensibus codicibus etiam tum superstitibus transvehendum curavit; ibi vero eum in primis Hieronymus Commelinus Heidelbergensis editor inspexit et con-

tulit ad eiusque fidem Vergili opera a. MDLXXXIX edidit. Denique a. MDCXXIII codex cum tota bibliotheca Palatina Heidelberga Romam in Vaticanam migravit.

R. SABBADINI, *Il codice Vaticano Palatino* 1631 (*Historia*, Milano 1927, IV, p. 57-67), *Codex Vergilianus Palatinus* 1631 (*P*) *quam simillime expressus. Ad Vergili natalem MM celebrandum qui erit id. oct. a. MDCCCCXXX Bibliotheca Vaticana contulit. Praefatus est Remigius Sabbadini.* Parisiis, «Editions historiques».

Codex ab uno librario totus descriptus est, qui scripturas suas ipse radendo multifariam emendavit tum statim in scribendo tum, idque saepius, post scriptum exemplo denuo inspecto. Secuti sunt deinceps correctores nonnulli. P^1, qui proxime abest a librarii aetate, litteris quadratis utitur exilioribus et elegantibus; rudioribus contra et crassioribus P^2, aliquanto posterior, qui scripta et correxit novo adiutus exemplari et distinxit, punctis usus, per periodos commata cola; at G. a II 139 usque ad finem nec correxit nec distinxit. P^3 significantur unus seu plures serioris aetatis correctores, qui scripturam modo currentem modo uncialem adhibuerunt; P^4 duo seu plures correctores aevi Carolini; P^5 denique duo Teutonici viri saec. XVI, qui versus numeraverunt, lacunas signaverunt, interdum litteras evanidas renovaverunt.

Codicem ipse terque quaterque legi relegi contuli scripturaeque varietates antea seu perperam lectas seu plane omissas seu denique minus recte aestimatas erui et collegi. Is sane maximae auctoritatis est plurimasque lectiones sinceras unus omnium servavit; in orthographia autem recte tradenda inter reliquos codices principem locum obtinet.

M = codex Mediceus bibliothecae Laurentianae (39.1) litteris quadratis ductus rustici saec. v Romae scriptus. Usque ad a. MCCCCLXI mansit in monasterio Bobiensi, unde paulo post, anno circiter MCCCCLXX, Romam est translatus in Benedictinorum monasterium S. Pauli extra urbem. Ibi eum ad manum habuerunt Pomponius Laetus et Iohannes Andreas Bussi, quorum hic ad alteram Vergili editionem anno MCCCCLXXI Romanam instruendam eo usus est. Proximo anno ad fidem eiusdem Medicei editio Vergili Veneta foras data est. Intra annos MD et MDXX deversatus est in bibliotheca Vaticana, deinde de manu Angeli Colocci ad manum gentis Romanae Del Monte traditus est; dumque ex alio ad alium dominum vagus devertit, folium (A. VIII 585-642) inde abstractum

Petrus Bembus schedis tum suis, mox Fulvianis, adiunxit. Tandem Franciscus I, magnus Etruriae dux († a. MDLXXXVII), sibi comparatum in bibliotheca Laurentiana collocavit.

Mediceus Eclogas I–V et priores versus 47 Eclogae VI amisit, cetera opera unus omnium codicum antiquorum integra servavit.

Nobilissima est ad Bucolica subscriptio illa, quam hic afferre operae pretium est. Librarius litteris quadratis maioribus in tres ordines distributis haec subscripsit:

P. VERGILI MARONIS
BUCOLICON LIBER EXPLICIT
INCIPIT GEORGICON LIB. I FELICITER.

In spatiis vacuis Asterius Apronianus haec litteris minoribus addidit:

Turcius Rufius Apronianus v(ir) *c*(larissimus) *et inl*(ustris), *ex comite domest*(icorum) *protect*(orum), *ex com*(ite) *priv*(atarum) *largit*(ionum), *ex praef*(ecto) *urbi, patricius et consul ordin*(arius) (1) *legi et distincxi codicem fratris Macharii* (2) *v*(iri) *c*(larissimi) *non mei fiducia set eius* (3), *cui si* (4) *et ad omnia sum devotus, arbitrio XI kal. mai*(as) *Romae.*

Distincxi emendans (5) *gratum mihi munus amici* (6)
suscipiens: operi sedulus incubui.
Quisque (7) *legis relegas felix parcasque benignus* (8)
si qua minus vacuus praeteriit animus.
Tempore quo penaces (9) *circo subiunximus atque*
scenam euripo (10) *extulimus subitam,*

(1) Fuit consul ordinarius anno p. Cr. n. 494.

(2) Quis fuerit iste Macarius prorsus ignoramus.

(3) *eius:* deum significat.

(4) *si:* animus erat, opinor, *si placet* explere; sed dum manus properat, ipse verbum omisit, nec deinde relegit ut suppleret.

(5) *distincxi emendans:* duplex hic munus significatur: distinxit i. e. interpunxit; emendavit, alio codice usus.

(6) *amici:* sc. Macarii.

(7) *quisque* i. e. quicumque. Duos hos versus scripsit postremos, sed notis appositis ad initium revocavit.

(8) *benignus* ex *benigne* corr.

(9) *penaces* more vulgari pro *pinaces;* quid autem *pinaces* significent, incertum: an tabulata?

(10) *euripo* scil. e regione euripi; erat euripus fossa, qua circus cingebatur. Duplex hic hiatus asper sane, sed non Asterio inusitatus, in cuius versibus ad Seduli opus subscriptis hunc legimus: *Cuius ope et cura edita sunt populis* (cf. JAHN in *Berichte über die Verhandl. der k. Sächs. Gesell. der Wissensch.* III, 1851, p. 350-51).

ut ludos (11) *currusque* (12) *simul variumque ferarum*
certamen (13) *iunctim Roma teneret ovans.*
Ternum quippe sofos (14) *merui: terna agmina vulgi*
per caveas plausus concinuere meos.
In quaestum (15) *famae census iactura cucurrit,*
nam laudis fructum talia damna serunt.
Sic tot consumptas servant (16) *spectacula gazas*
festorumque trium (17) *permanet* (18) *una dies* (19)
Asteriumque suum vivax transmittit in aevum,
qui parcas (20) *trabeis* (21) *tam bene donat opes.*

P. Vergili Maronis, *Codex antiquissimus qui in biblioth. Mediceo-Laurentiana adservatur typis descriptus* (a P. F. Magginio), Florentiae mdccxli; R. Sabbadini, *Zur Ueberlieferungsgechichte des cod. Mediceus des Vergilius* (*Rhein. Museum* 65, 1909, p. 475-80); Id. *Sul codice Mediceo* (*M*) *di Virgilio* (*Historia*, Milano 1929, I p. 103-119); P. de Nolhac, *La bibliothèque de Fulvio Orsini*, p. 273; L. Traube, *Vorlesungen und Abhandlungen* I, p. 163-64; Max Hoffmann, *Der cod. Mediceus pl. XXXIX n.* 1 *des Vergilius*, I, Berlin 1889; II, Leipzig 1901.

Codex verborum divisione et distinctione caret. Descripserunt duo seu potius tres librarii multique postea emendando operam dederunt in iisque duo praecipue notandi, quorum alterius antiquissimi (M^2), alterius recentissimi (M^7) nomina novimus.

M^2, librario paene aequalis, ipse est Apronianus, qui praeclaram illam subscriptionem ad Bucolica exemplari suo adtexuit. Is totum codicem « distinxit emendans », ut ait ipse, i. e. interpunctionem addidit et lectiones alio codice usus correxit. Praeterea quaedam verba apice distinxit, quorum, ut pauca afferam, haec in Georg. inveniuntur: *á* (II 252), *é* (III 168), *ó* (I 12), *quá* (I 90), *hóc* (I 450), *ít* (III 517), *ós* (IV 232), *áera* (I 428), *eóus* (I 288), *éruerent* (I 320), *lévi* (IV 45).

(11) *ludos* sc. scaenicos.
(12) *currus* sc. curruum certamina.
(13) *certamen* sc. venationem.
(14) *sofos* i. e. σοφῶς. Martial. I 49, 37 Mereatur alius grande et insanum sophos.
(15) *quaestum* in *pretium* in marg. corr.
(16) *servant:* compensant potius dixerim.
(17) *trium:* tria enim uno eodemque die spectacula edidit.
(18) *permanet* sc. apud posteros.
(19) *dies* sc. diei memoria.
(20) *parcas* sc. parvas, exiguas.
(21) *trabeis* sc. consulari dignitati; trabea enim consulare insigne erat.

M', renatarum litterarum aetatis homo, Pomponius Laetus est, qui anno fere MCCCCLXX codicem tunc Romae in Pauli extra urbem apud monachos Benedictinos deversantem inspiciendi facultatem habuit. Io. Andreas Bussi enim in praefatione ad Vergili opera a se Romae anno MCCCCLXXI edita sic Pomponium alloquitur: « Dein ipse... dedisti operam ut ex manibus tuis Virgilii exemplar maiusculis characteribus descriptum vix carptim possem evolvere. Erant in eo quod meministi minus (1) prime Bucolicorum egloge; Georgica Aeneisque absoluta: preterea nihil ». Codex ille plane est Mediceus, ex quo Pomponius scholia excerpta in suum Vergili commentarium Aproniani nomine intulit (2). Fuit Pomponius vir quidem doctissimus et de studiis antiquitatis, quam superstitione quadam admirabatur, optime meritus; sed in re critica exercenda eo acumine et iudicio caruit, quod eadem aetate primus hominum novorum Politianus adhibuit: adeo ut librorum potius corruptor quam corrector fuerit. Is enim codice vulgatae scripturae usus recentissimo antiquissimum Mediceum ineptiis suis plerumque inquinavit. Correctiones Pomponius minio scripsit.

Ipse semel iterumque inspexi et legi, ea potissimum collatione adiutus quam acri sollertia et diligentia paravit Maximilianus Hoffmann. Mediceus usque a Nicolai Heinsii editione (1664), qui eum « longe praestantissimum atque unum instar omnium » iudicavit, summo in honore et iure quidem haberi coeptus est; verum pluris aequo et est aestimatus et hodie quoque aestimatur, nam ab homine docto multifariam adulteratus et corruptus est; quare plurimis locis eum reliquis codicibus posthabendum censui.

CODICES MINORES

α = cod. Mediolanensis biblioth. Ambrosianae, olim Petrarcae. Codex iste praeclarus complectitur Vergili aliorumque scriptorum opera plurimis Petrarcae ipsius adnotationibus instructa. Descriptus est Florentiae saec. vel XIII ex. vel XIV in. R. SABBADINI, *Le scoperte dei codici latini e greci*. Firenze, 1914, p. 165-67.

(1) *erant minus* i. e. deerant; sic Servius A. II 458, VI 109, *minus est* pro deest. Cf. W. WATTENBACH, *Das Schriftwesen im Mittelalter*, 3 ed. Leipzig, 1896, p. 208, 322, 332, 339, 496 *minus* i. q. omissum, omissa.

(2) M. IHM (*Rhein. Mus.* 45, 1890, p. 624-25); R. SABBADINI, *Le scoperte dei codici*, 1905, p. 145, 167-68.

Varietates attuli ex Bucolicis tantum, ut esset specimen quoddam exemplarium in Italia vulgatorum.

γ = cod. Guelferbytanus Gudianus 2°. 70 saec. IX. Iis potissimum locis adhibui ubi P deficit, quicum maximam habet adfinitatem. Huius codicis si quis originem et naturam diligenter indagaverit, operam credo non perdet.

l = cod. Laurentianus Ashburnh. 4 (Paoli 3) saec. X-XI. Contuli ad Aen. libros I, II, III, in quibus antiquorum codicum testimoniis interdum destituimur.

p = cod. Paris. lat. 7906 saec. IX binis columnis scriptus. Paucas tantum Aeneidos reliquias servavit (III 682-V 734) ex aliquo fragmento, ut verisimile est, codicis litterae quadratae exceptas. E. CHATELAIN, *Un important fragment de Virgile* (*Biblioth. de l'Ecole des hautes études*. Paris 1887, 73, p. 373-81); ID., *Paléographie*, p. 19, tab. LXVI, 2.

SUBSIDIA

Alcesta = P(oetae) L(atini) M(inores) ed. Bährens IV, p. 208.

Ansil. = Glossarium Ansileubi. Paris, Belles Lettres, 1926.

Arma = Glossarium Latinum Arma. Paris, Belles Lettres, 1926.

Asper = ed. Hagen (Appendix Serviana).

Auson. Cent. = AUSONII, *Cento nuptialis.*

Bern. 165 = J. J. SAVAGE, *The scholia in the Virgil of Tours* (*Harvard Studies in class. philol.*, 36, 1925, p. 91-164).

Dan. = Scholia Servianis inserta, e Donati commentario maximam partem deprompta, quae primus Daniel edidit.

De alea = P. L. M. IV, p. 192.

De ecclesia = P. L. M. IV, p. 214.

Filarg. = FILARGIRII, *Comment. in Vergilium*, ed. Hagen (Appendix Serviana).

Herc. et Anth. = P. L. M. IV, p. 205.

Hippodam. = P. L. M. IV, p. 199.

Mavort. = MAVORTI, *Iudicium Paridis* P. L. M. IV, p. 198.

Medea = P. L. M. IV, p. 219.

PAC = Poetae Latini aevi Carolini I-IV.

Pap. Fir. = Papiri greci e latini. Firenze, I, 1912, VII, 1925.

Pap. Gren. = The Oxyrynchus papyri, Grenfell-Hunt. London, I, 1898; VIII, 1911.

Probus = Probi, *Commentarius in Vergilium*, ed. Hagen (Appendix Serviana).

Schol. Bern. = Scholia Bernensia, ed. Hagen. (N. Jahrb. für Philol. und Pädag., Suppl. IV 749).

Schol. Ver. = Scholia Veronensia, ed. Hagen (Appendix Serviana).

Serv. = Servii, *Commentarii in Vergilium*, ed. Thilo.

Serv. L = Servii commentariorum codex Lemovicensis (nunc Leid. Voss. lat. 8° 80), saec. IX-X.

Serv. R = Servii commentariorum codex Vatic. Reg. lat. 1495, saec. X.

Serv. V = Servii commentariorum codex Vatic. lat. 3317, saec. X-XI.

Tib. = Ti. Claudi Donati, *Interpretationes Vergilianae*, rec. Georgii.

Ti. Donatus saec. IV seu V post C. n. vixit eiusque commentarii tribus maximae fidei codicibus saec. IX traditi sunt. Is duplicem, quod mireris, lectionem saepe praebet, alteram exemplaris quod prae manibus habebat, alteram a se in interpretatione allatam, quotienscumque exemplaris verba sive ad temporum consuetudinem sive ad iudicium sensumque suum mutando accommodabat, quod praecipue in libro XII 412 perspicuum est. Perierunt hi loci: VI 1-157; VII 373-414; VIII 456-729; XII 620-664; 691-755; 786-846. Donati codex tum cum M tum cum P consentit, sed maximis adfinitatis vinculis cum R coniunctus est.

Varietates orationis omnes attuli, orthographiae fere omisi,quam nescio quo pacto operis editor ad unam normam morose redegit.

Tit. Pomp. = Tituli Pompeiani (C. I. L. IV).

Tol. = Iuliani Toletani, *De vitiis et figuris, by Lindsay*. Oxford 1922.

NOTAE CODICUM.

A = cod. Augusteus Vatic. lat. 3256 et Berolin. 2°. 416 saec. IV.

F = schedae Fulvianae Vatic. lat. 3225 saec. IV; F^1.. F^5 = codicis correctores; F = ipse librarius.

G = cod. Sangallensis 1394 saec. IV; G^1 = codicis corrector.
M = cod. Mediceus Laur. 39. 1 saec. V; M^1.. M^7 = codicis correctores; at M^1 ipsum librarium interdum significare potest; M = ipse librarius.
P = cod. Vatic. Palatinus lat. 1631 saec. IV; P^1.. P^5 = codicis correctores; at P^1 ipsum librarium interdum significare potest; P = ipse librarius.
R = cod. Romanus Vatic. lat. 3867 saec. V; R^1.. R^5 = codicis correctores; R = ipse librarius.
V = cod. Veronensis rescriptus saec. IV; V^1 = codicis corrector.
α = cod. Ambrosianus Petrarcae saec. XIII-XIV; α^1 = codicis corrector.
γ = cod. Guelferb. Gudianus 2°. 70 saec. IX; γ^1 = codicis correctores.

* * *

Codicum quinque, A F M P R, et eorum venerandae antiquitatis et novae eiusdemque emendatioris collationis a me susceptae ratione habita, varietates vel minutissimas attuli, quae si non omnes Vergili verbis confirmandis, at certe cum orthographiae et pronuntiationi tum rei palaeographicae illustrandae maxime conducunt.

Quorum codicum lectiones in textum recepi, ii in adnotatione critica signati non sunt.

BUCOLICON

LIBER *

* Hic titulus codici M ad Buc. subscriptus est.

I.

MELIBOEUS

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
silvestrem tenui musam meditaris avena;
nos patriae finis et dulcia linquimus arva,
nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra
formonsam resonare doces Amaryllida silvas.

TITYRUS

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit:
namque erit ille mihi semper deus; illius aram
saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus;
ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
ludere quae vellem calamo permisit agresti.

MELIBOEUS

Non equidem invideo; miror magis: undique totis
usque adeo turbatur agris. En ipse capellas

I **1-83** P R α γ. — *Bucolicon Meliboeus Tityrus* P. **1** *patule* R. **2** *silvestrem*] *agrestem* Quintil. (IX 4, 85, ex memoria, puto; cf. B. VI 8). **3** *finis* P, *-nes* P^2 α γ. **4** *patrim* P, *-iam* P^1. **5** *formonsam* Asper (p. 540), *-osam* P R α γ (de huius verbi scriptione cf. *Archiv. f. Lat. Lexik.* V, 1888, 195-97). **6** *deus*] *d̄s* R. **10** *que* P, *quae* P^1. **11** *magis*] i. e. potius (cf. Catull. 68 A 30). **12** *turbatur*] α, Quintil. (I 4, 28), Consent. (V 372,

protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco:
hic inter densas corylos modo namque gemellos,
spem gregis, a, silice in nuda conixa reliquit.
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
de caelo tactas memini praedicere quercus.
Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

TITYRUS

Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
noram; sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
quantum lenta solent inter viburna cupressi.

MELIBOEUS

Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?

35 K); « sane vera lectio est *turbatur*, ut sit impersonale, quod ad omnes pertinet generaliter; si enim *turbamur* legeris, videtur ad paucos referri » Serv., *turbamur* P R γ. **13** *protenus* α γ, Nonius (377, 20), « *protenus* porro tenus » Serv., *protinus* P R. **14** *corulos* R. **15** *ha* α. **17** post hunc v. *sepe sinistra caua predixit ab ylice cornix* add. ima p. α. **18** *set* P. **20** *quaepe* P, *quosaepe* P[1]. **22** *edos* P α γ. **23** *conponere* γ. **26** *at* α | *causa*] uno s hic et ubique scribunt codices nostri antiquissimi (*caussa* alibi nonnulli recentiores, ut Bern. 165 ad G. II 490, Minoraug. ad A. I 414) contra atque testatur Quintil. (I 7, 20): « quid quod Ciceronis temporibus paulumque infra, fere quotiens s littera media vocalium longarum vel subiecta longis esset, gemi-

TITYRUS

Libertas, quae sera, tamen respexit inertem,
candidior postquam tondenti barba cadebat;
respexit tamen et longo post tempore venit,
postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima saeptis,
pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

MELIBOEUS

Mirabar quid maesta deos, Amarylli, vocares,
cui pendere sua patereris in arbore poma:
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.

nabatur? ut *caussae cassus divissiones,* quomodo et ipsum et Vergilium quoque scripsisse manus eorum docent ». Sed iam Caesaris aetate et paulo ante scribi coeptum est *causa,* ut ex titulorum testimoniis perspicitur; qua de re cf. *Thes. ling. lat.* CAUSSA p. 660, 3-34. *Caussa* saepe Plauti cod. Ambros., *causa* semper Terenti Bemb. Ceterum geminatae s ubi ulterius legendo processeris in multis aliis vocabulis vestigia invenies. **28** *candidior postquam* iungunt codd.; « aut mutatio personae est, ut quendam rusticum accipiamus loquentem, non Vergilium per allegoriam, nam, ut diximus, XXVIII annorum scripsit bucolica, aut certe est mutanda distinctio ut sit non barba candidior, sed libertas..., et bene *candidior libertas,* ut intellegatur etiam ante in libertate, sed non tali fuisse Vergilium » Serv. (cf. v. 46 *senex*). **29** *repexit* R, *resp-* R^1 | *postempore* P, *postte-* P^2. **34** « sane *pinguis* melius ad *victimam* quam ad *caseum* refertur » Serv. | *praemeretur* P R, *prem-* P^2 R^2 | *caeseus* P, *cas-* P^2. **35** *nonnumquam* R, *nonu-* R^1 | *dextera* R, *-tra* R^1. **37** *poma*] in ras. γ^1, *mala* R, *poma* R^2. **38** *ipse* P R, *-sae* P^2 R^2 | *pinus*] *nobis* P, *pinus* P^2.

TITYRUS

Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
nec tam praesentis alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
bis senos cui nostra dies altaria fumant;
hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
« Pascite ut ante boves, pueri; submittite tauros ».

MELIBOEUS

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt,
et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
limosoque palus obducat pascua iunco.
Non insueta gravis temptabunt pabula fetas,
nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota
et fontis sacros frigus captabis opacum;
hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
saepe levi somnum suadebit inire susurro;
hinc alta sub rupe canet frondator ad auras,
nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

40 *me ser-* R, *ser- me* R^{2}. **41** *praesentis* P, *-tes* P^{2} α γ. **42** *quodannis* P R, *quota-* R^{2}. **45** *unt* P, *ut* P^{2} | *summittite* P. **46** *manebun* in *-unt* corr. α. **48** *limos* P, *-so* P^{2}. **49** *graues* α, *-uis* $α^{1}$. **52** *fontes* α γ. **53** *quae semper*] suppl. suasit, ex v. 55 *suadebit;* hic ergo distinguendum et hic disting. P^{2}; aliter « *saepes* i. e. fiat » Filargir. | *a* α. **57** *hec* R, *nec* R^{2}. **58** *aeria* P, *äe-* P^{2} | *cessit* P, *-ssabit* P^{2}.

TITYRUS

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi
et freta destituent nudos in litore piscis,
ante, pererratis amborum finibus, exul
aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
quam nostro illius labatur pectore voltus.

MELIBOEUS

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,
pars Scythiam et rapidum cretae veniemus Oaxen
et penitus toto divisos orbe Britannos.
En umquam patrios longo post tempore finis,
pauperis et tuguri congestum caespite culmen
post aliquot mea regna videns mirabor aristas?
Impius haec tam culta novalia miles habebit,
barbarus has segetes: en, quo discordia civis
produxit miseros; his nos consevimus agros!

59 *Tityrus* om. P, *T* add. P^1 | *pascuntur* P. **60** *piscis* P, *-ces* P^2 R α γ. **61** *pererrantis* in *-atis* corr. R | *exsul* P. **62** *ararim*] etiam Prisc. (VII 10, 50), Filargir., *ararem* P γ | *tigrī* α. **63** *labatur* P, *-antur* P^2 | *uoltus* P, *uul-* P^2 α γ. **64** *sitentis* P, *sitientis* P^2 α, *-ntes* R $α^1$. **65** *scytiam* R, *cythiam* P, *scyth-* P^1 R^2 | *cretae*] P R α γ ceterique codd.; locus desperatus, seu *Cretae* nomen proprium accipis, seu *cretae rapidum* iungis; *Creta* enim propior Italiae est, quam ut per eam septentrionalis regio significetur; *cretam* autem nullum flumen non rapit | « *rapidum cretae Oaxen* hoc est lutosum, quod rapit cretam; cretam terram albam dixit, nam Oaxis fluvius Mesopotamiae..., vel Oaxis fluvius Scythiae; in Creta insula non est » Filargir.; « potest et Oaxes Cretae fluvius accipi, cum non sit, sed, ut diximus, Scythiae » Serv. (ad B. II 26) | *oaxem* α. **66** *brittannos* R, *brita-* R^1. **67** *finis* P, *-nes* P^2 α γ. **68** *tugurii* R. **69** « *post aliquot aristas* post multa tempora; et quasi rusticus per aristas numerat annos » Filarg. (perquam durum hercle neque ego quicquam melius excogitare potui) | *rearegna,* dein *rea* abr. P. **71** *ciues* α γ. **72** *perduxit* α γ | *his nos*] *en quis* α γ | *consueuimus* R, *conse-*R^1 | *agris* R γ, *-ros* $γ^1$.

Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vitis!
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae!
Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,
dumosa pendere procul de rupe videbo;
carmina nulla canam; non, me pascente, capellae,
florentem cytisum et salices carpetis amaras.

TITYRUS

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,
castaneae molles et pressi copia lactis;
et iam summa procul villarum culmina fumant
maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

II.

Formonsum pastor Corydon ardebat Alexim,
delicias domini, nec quid speraret habebat.
Tantum inter densas umbrosa cacumina fagos
adsidue veniebat, ibi haec incondita solus
montibus et silvis studio iactabat inani:
« O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
nil nostri miserere? mori me denique cogis.

73 *Tit* in marg. R^3 (scil. Tityro versum tribuit) | *uitis* P, *-tes* P^2 R α γ. **74** *Mel* in marg. R^3 | *quondam f-* P γ. **75** *protectus* P, *proie-*P^2. **76** *uidero* P, *-ebo* P^2. **78** *calices* P, *sa-*P^2. **79** *hinc* P, *hic* P^2 | *hanc* P, *hac* P^2 α | *poteras*] cf. G. II 133 *erat, poteris* α | *reliquiescere* P, corr. P^2 | *noctem* P, *-e* P^2 α. **80** *multa* (?) R, *mitia* R^2. **83** *a* P, *de* P^2, *e* α.

II **1-73** P R α γ. — *Poeta Corydon* P R | 1 *Poet* in marg. P^1 | *formonsum*] etiam De eccl. 114, *-osum* P α γ | *corydon p-* R γ | *alexim*] etiam Ansileub. (CO 2195), *-in* R. **4.** *adsiduae* R, *assidue* α γ. **6** *Cor* in marg. P | *o* P, *ö* et sic semper P^2. **7** *nihil* P R, *nil* R^2 | *cogis*] etiam Alcest. 58, *-ges* R.

Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
nunc viridis etiam occultant spineta lacertas,
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
alia serpullumque herbas contundit olentis;
at mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
sole sub ardenti, resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius tristis Amaryllidis iras
atque superba pati fastidia? nonne Menalcan,
quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?
O formonse puer, nimium ne crede colori:
alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec qui sim quaeris, Alexi,
quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae,
lact mihi non aestate novom, non frigore defit.

9 *uiridis* P, *-des* P^2 R α γ | *lacertas* P, *-tos* P^2 R α γ, Filarg.; at mascul. gen. *lacerti* G. IV 13; *virides lacertae* etiam Hor. (C. I 23, 6-7); « notandum quia feminino genere dixit *lacertae*, cum Virgilius masculino dixerit *lacertos* » schol. Iuvenal. (III 231). **10** *thestilus* in *-lis*, *fesses* in *-ssis*, *messopibus* in *-oribus* corr. R. **11** *alias* R, *allia* R^2 α | *serpyllum* γ, *-pillum* α, « sane *serpyllum* herba est, quam Graeci herpyllon dicunt » Serv. **12** *ad* P, *ag* in *ac* corr. R, « *ad* si per d fuerit, erit hyperbaton, ut sit *dum tua lustro vestigia, ad me arbusta resonant cum raucis cicadis ;* sed melius est ut *at* coniunctio sit et ita intellegamus : Thestylis herbas tritas messoribus portat, verum mecum resonant arbusta a raucis cicadis » Serv. (scil. fuerunt qui *mecum* falso in duas voculas *me cum* partirentur, quod a nonnullis codicibus pro *at* traditum erat *ad ; at* enim et *ad* saepissime a librariis inter se commutantur, cf. A. XI 142 et Quintil. I 7, 5) | *nunc* P, *dum* P^2. **14** *satius*] *satitius* in ras γ^1, *melius* α | *tristes* α | *amaryllidus*P, *-dos* P^2. **15** *superua* R | *menalcam* R, *-cā* α. **17** *formonse* R, *-osae* P, *-ose* P^2 R^2 α γ | *puer* disting. P^2, « *o formose puer* bene dicit Donatus suspendendum *o* » Serv. | *nec* R, *ne* R^2. **18** *ligusta* P. **19** *qui* γ, *-is* γ^1. **20** *nivei* disting. P^2 γ ; « multi secundum Homerum, qui ait καὶ γάλα λευκόν, legunt *nivei quam lactis*, sed melius est *quam dives pecoris nivei* » Serv. **22** *lact* P, *lac* P^2 R α γ (*lact* apud Plaut. *Truc.* 903, Varr. *Sat. Men.* 26, cf. Varr. *L. L.* V 104, Charis. I p. 102, 4 K, W. M. Lindsay *Early latin verse*, 1922, p. 139; at *lact*, ut equidem memini, sic plene scriptum nusquam alibi inveni; quare illud mutare religioni habui) | *nuom* P, *nuum* P^2, *nouum* R α | *nec fr- desit* α | « sane hunc versum male distinguens Vergiliomastix vituperat: *lac mihi non aestate novum non frigore: defit* i. e. semper mihi deest » Serv.

Canto quae solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim
iudice te metuam, si numquam fallit imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura
atque humilis habitare casas et figere cervos
haedorumque gregem viridi compellere hibisco.
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo:
Pan primum calamos cera coniungere pluris
instituit; Pan curat ovis oviumque magistros:
nec te paeniteat calamo trivisse labellum.
Haec eadem ut sciret quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,
et dixit moriens: « Te nunc habet ista secundum ».
Dixit Damoetas; invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat,
et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formonse puer: tibi lilia plenis
ecce ferunt Nymphae calathis; tibi candida Nais,

24 *etin* P, *in* P^2 | *arctaeo* P, « *actaeo* litorali (cf. A. V 613 *acta*) debemus accipere..., non Atheniensi » Serv. (scil. Actaeo) | *racintho* P R, *ar-* R^3 α $γ^1$, *aracinto* γ. 26 *amare* P, *ma-* P^2 | *daphnin* P, *-ī R* α. 27 *metum* P, *-uam* P^2 | *fallit* P, *-llat* P^2 R α γ, Serv. 29 *adque* R | *humiles* γ. 32 *primus* α, Serv. (Buc. III 25; cf. VIII 24, ubi oratio paulum variatur) | *pluris* P, *-res* P^2 α γ. 33 *oues* α γ. 34 *penit-* P. 35 *factebat* P, *facie-* P^2. 36 *conpa-* P. 41 *capraeoli* P R | *nunc habet ista secundum* (aberraverat ad v. 38) P, *nunc pellibus albo* P^2 | *ambo* R | « hoc dicit: servo tibi capreolos, qui adhuc sunt pellibus albo sparsis » Serv. 42 *quod* R. 43 *llos* P, *ill-* P^2 | *thestulis* P, *-tylis* P^2. 45 *formonse* P γ, *-ose* P^2 α $γ^1$. 46 *haecce* γ.

pallentis violas et summa papavera carpens,
narcissum et florem iungit bene olentis anethi;
tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala
castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
addam cerea pruna (honos erit huic quoque pomo),
et vos, o lauri, carpam et te, proxuma myrte;
sic positae quoniam suavis miscetis odores.
  Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis,
nec, si muneribus certes, concedat Iollas.
Heu heu, quid volui misero mihi? floribus austrum
perditus et liquidis immissi fontibus apros.
Quem fugis, a demens? habitarunt di quoque silvas
Dardaniusque Paris. Pallas quas condidit arces
ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae.
Torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
florentem cytisum sequitur lasciva capella,
te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci
et sol crescentis decedens duplicat umbras;
me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?

47 *palletis* R, *-entes* α | *papauere* P. **48** *narciscum* α | *beni* P, *-ne* P^{2}. **49** *tunc* γ. **50** *pingint* P, *-git* P^{2} | *-inea* α | *calta* P γ. **53** *pruna*] de synaloepha omissa cf. V 52, VIII 11 | *poma* P, *-mo* P^{2}. **54** « *o lauri :* licet Horatius dixerit *depone sub lauru mea* (C. II 7, 19), melius tamen est iuxta secundam formam inflectere » Serv. | *proxima* R α γ. **55** *suaues* R α γ | *dores* P, *od-* P^{1}. **56** *es*] etiam P A C (I p. 250, 32), « *rusticus es Corydon* arguit se stultitiae » Serv., *est* P R, *es* P^{1} | *rusticus est Corydon* tit. Pomp. 1527. **57** *certet* R | *concedat*] *n* ex corr. R. **58** *heheu* P, *eheu* α γ. **59** *-ditos* R | *liquiidis* P, corr. P^{1} | *immissi*] cf. I 26, *immisi* α γ, *inmisi* R. **60** *adeomens* R | *siluis* α, *-uas* α^{1}. **61** *quas*] etiam Probus et Filarg., *quae* R, *quase* in *quas* corr. P (duplex in exemplo lectio : *quas, quae*). **62** *colant* R. **63** *-ellas* R. **64** *cutisub* R | *lactua* P, *lasciua* P^{2}. **67** *crescentis* P, *-tes* P^{1} α γ.

A Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo;
quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
viminibus mollique paras detexere iunco?
invenies alium, si te hic fastidit, Alexim ».

III.

MENALCAS

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

DAMOETAS

Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.

MENALCAS

Infelix o semper oves pecus! ipse Neaeram
dum fovet ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
hic alienus ovis custos bis mulget in hora,
et sucus pecori et lact subducitur agnis.

69 hic abrupte a proposita oratione declinat ut Catullus (51, 13-16), uterque Theocritum (11,72) imitatus | *a* α, *ha* α¹, *o* R | *cedit* P, *cepit* P¹. **70** *fondosa* P, *fron-* P¹ | *ulmo est* R α γ, Serv. **71** *aliquit* R | *saltem* P, *-tim* P¹ R α γ. **73** *fastidiat* P, *-dit* P¹, *-dat* R, *-det* α | *alexim* P, *-in* Serv., *-is* P¹ α γ.

III **1-26** P R α γ. — *Menalcas Damoetas Palaemon* P R. **1** *det mihi damoeta* tit. Pomp. 5007. **2** *egonis* R. **3** *uis* P, *ouis* P¹ γ. **4** *ille* R. **5** *oues* α | *mulgit* P. **6** *succus* α | *lact*] P (cf. II 22), *lac* P¹ R α γ.

DAMOETAS

Parcius ista viris tamen obicienda memento;
novimus et qui te, transversa tuentibus hirquis,
et quo, sed faciles Nymphae risere, sacello.

MENALCAS

Tum, credo, cum me arbustum videre Miconis
atque mala vitis incidere falce novellas.

DAMOETAS

Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum
fregisti et calamos; quae tu, perverse Menalca,
et cum vidisti puero donata dolebas,
et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

MENALCAS

Quid domini faciant, audent cum talia fures?
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
et cum clamarem: « Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus! » tu post carecta latebas.

7 « *parcius* melius hic distinguitur, licet possit dici etiam *parcius ista* » Serv., *ista* disting. P^2. **8** *hirquis* Ansil. (HI 167), « *hircis . . .*, alii legunt *hirquis* » Serv., *hircuis* P, *hircis* P^2 R γ, *hyrcis* α (cf. G. III 313). **9** *set* P R. **10** *myconis* R. **11** *uites* γ. **16** *faciant* γ, *-ient* $γ^1$ α | *tala* P, *-lia* P^1. **18** *insidis* P, *-diis* P^1 | *lucisca* R. **19** *clamere* P, *-rem* P^1.

DAMOETAS

An mihi cantando victus non redderet ille,
quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.

MENALCAS

Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera
iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
stridenti miserum stipula disperdere carmen?

DAMOETAS

Vis ergo inter nos quid possit uterque, vicissim
experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus)
depono; tu dic, mecum quo pignore certes.

MENALCAS

De grege non ausim quicquam deponere tecum;
est mihi namque domi pater, est iniusta noverca,
bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos;
verum id, quod multo tute ipse fatebere maius
(insanire libet quoniam tibi), pocula ponam
fagina, caelatum divini opus Alcimedontis,
lenta quibus torno facili super addita vitis

24 *set* P. **25** *haut* α, « *haut* i. e. pro non » Filarg. **26** *uincta* P R γ | *triuis* P, *-uiis* P^1. III 27-52 P R V α γ. — **27** *stipula mis-* V. **28** *quidsitpossit* V. **29** *ego* disting. P^2, « *ego hanc vitulam* subdistingue, ut ita intellegamus : ne eam vilem existimes » Serv. | *recusas* α. **33** *mii* V | *pater do-* α | *inusta* R, *iniu-* R^2. **34** *hedos* V. **35** *ipse* add. R^1. **38** *facili*] *-cilis* V, Filarg., *-ciis* P, *-ctis* P^2, *fragilis* R, « *quibus torno facilis* Donatus sic legit ; legitur tamen et *torno facili* » Serv. (*facilis* ex *super* s ad se traxit).

diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon et — quis fuit alter,
descripsit radio totum qui gentibus orbem,
tempora quae messor, quae curvos arator haberet?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

DAMOETAS

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit
et molli circum est ansas amplexus acantho
Orpheaque in medio posuit silvasque sequentis.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est quod pocula laudes.

MENALCAS

Numquam hodie effugies; veniam, quocumque vocaris.
Audiat haec tantum — vel qui venit, ecce, Palaemon;
efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.

DAMOETAS

Quin age, si quid habes; in me mora non erit ulla,
nec quemquam fugio; tantum, vicine Palaemon,
sensibus haec imis (res est non parva) reponas.

39 *hedera*] *haed-* R γ, *hed-* V^1 γ^1, *ed-* P V α, « *hedera* dicta quod h a e r e a t sive quod e d i t a petat » Festus (p. 89 Lind.) | *pallante* V. **40** *euit* P, *fu-* P^1. **41** *-ribsit* P V. **42** *que* P, *quae* utrimque P^2 | *curuos* P, *-uus* P^2 R V α γ. **43** *admouis* R, *-odi* P, *-obi* P^1 | *set* P R V. **44** *dua* γ | *pucula* V, *poc-* V^1. **46** *sequentes* P α. **47** *set* P V. **48** *laudas* α. **49** *hodi* P. **50** *qui* disting. P^1, « *vel qui* quasi requirentis est, cum subito Palaemon adveniat; alii distingunt *vel qui venit* » Serv. | *palemon* R, *-laemo* V. **51** *nec* P. **52** *siquit* P R | *im* P, *in* P^1.

III 53-71 P R α γ. — **53** *palemon* R.

PALAEMON

Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba,
et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
nunc frondent silvae, nunc formonsissimus annus.
Incipe Damoeta, tu deinde sequere, Menalca;
alternis dicetis; amant alterna Camenae.

DAMOETAS

Ab Iove principium Musae: Iovis omnia plena;
ille colit terras, illi mea carmina curae.

MENALCAS

Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper aput me
munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.

DAMOETAS

Malo me Galatea petit, lasciva puella,
et fugit ad salices et se cupit ante videri.

MENALCAS

At mihi sese offert ultro meus ignis, Amyntas,
notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

55 *dicete* P, *-cite* P[1]. **57** *-osissimus* α γ. **59** hunc v. Damoetae tribuit P | *amans* P, *-nt* P[1]. **60** « *ab Iove principium musae* vel musae ab Iove est principium vel musae, sumamus ab Iove principium » Serv. | *loque* P, *ioue* P[1]. **61** *ille* γ, *illi* γ^1. **62** *foebus* P | *apud* α γ. **65** *anti* P, *-te* P[1]. **66** *ad* P R.

DAMOETAS

Parta meae Veneri sunt munera; namque notavi
ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.

MENALCAS

Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
aurea mala decem misi; cras altera mittam.

DAMOETAS

O quotiens et quae nobis Galatea locuta est!
partem aliquam, venti, divom referatis ad auris.

MENALCAS

Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?

DAMOETAS

Phyllida mitte mihi; meus est natalis, Iolla;
cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

MENALCAS

Phyllida amo ante alias; nam me discedere flevit
et longum, « Formonse, vale, vale! » inquit, « Iolla ».

70 *tecta* P, *le-* P¹. **71** *maia* P | *decim* R.
III 72-111 R α γ. — **72** *nobis et quae* α | *loquuta* α. **73** *diuom*] *-uum* R α γ | *aures* α γ, *-ris* γ¹. **74** *me* om. R. **77** « figurate *faciam vitula* ait, ut faciam ture, faciam agna » Serv., « meminerimus sic legendum per ablativum *cum faciam vitula* » Macrob. (Sat. III 2, 15); *uitulam* R γ, Filarg. **79** *formose* α γ.

DAMOETAS

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

MENALCAS

Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,
lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

DAMOETAS

Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.

MENALCAS

Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.

DAMOETAS

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;
mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

MENALCAS

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi,
atque idem iungat volpes et mulgeat hircos.

82 *humor* α. 84 *est*] *sit* α, Serv. 86 « alii legunt *Polio,* ut prima producatur, alii *Pollio* » Serv. 87 *cornum* R. 90 *buauium* R, *ua-* R[2] | *moeui* α, *meui* R γ. 91 *adque* R | *uolpes*] *uul-* R α γ | *mulceat* R.

DAMOETAS

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

MENALCAS

Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripae
creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccat.

DAMOETAS

Tityre, pascentes a flumine reice capellas;
ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.

MENALCAS

Cogite oves, pueri; si lac praeceperit aestus,
ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

DAMOETAS

Heu heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
idem amor exitium pecori pecorisque magistro.

MENALCAS

His certe, neque amor causa est, vix ossibus haerent;
nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

97 *omnes* α | *fronte* R. **98** *aestas* R. **100** *heu heu* α, *heheu* α^1, *heu* γ | *aruo* R α. **101** *exitium pecori est* γ, *exitium est pe-* R γ^1. **102** *his* pluralis nominativus; « *hisce* pro *hi* vetuste, Vergilius *hisce certe, neque - est, vix - haerent,* quia *hice* debebat dicere » Donat. (Ter. Eun. II 2, 38; verum ex dittographia *hisce certe* pro *his certe* legebat). **103** *nes* R, *-scio* R^2 | *fascenat* R.

DAMOETAS

Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
tris pateat caeli spatium non amplius ulnas.

MENALCAS

Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
nascantur flores, et Phyllida solus habeto.

PALAEMON

Non nostrum inter vos tantas componere lites.
Et vitula tu dignus, et hic, et quisquis amores
aut metuet dulcis, aut experietur amaros.
Claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

IV.

Sicelides Musae, paulo maiora canamus:
non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

105 *tres* α | *caeli*] « alii dicunt significare eum sepulchrum Caelii, luxuriosi cuiusdam...; simpliciter intellegendus est cuiuslibet loci puteus, in quem cum quis descenderit tantum caeli conspicit spatium quantum putei latitudo permiserit » Serv. | *ulnam* γ, *-as* $γ^1$, *ullas* R. **106** *insoripti* R, *inscr-* R^1. **107** *nascuntur* α | *phullida* R, *phyll-* R^1. **108** « *non :* hic distinguendum, ut sit sensus: officium iudicis est ferre sententiam, non eorum qui inter se contendunt; unde male quidam totum iungunt » Serv. | *conpon-* γ. **110** *aut... aut*] etiam Medea 461 | *metuet*] i. e. non sperabit ideoque non experietur | *dulces* α γ.

IV **1-51** R α γ. — *Saeculi noui interpraetatio* R. **1** *Poe* in marg. R | *sicil-* α. **2** *omnes* R α. **3** hic v. secundis curis additus est | *canibus* R.

Ultima Cymaei venit iam carminis aetas,
magnus ab integro saeclorum nascitur ordo;
iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
iam nova progenies caelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
desinet ac toto surget gens aurea mundo,
casta fave Lucina; tuus iam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses;
te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
inrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam accipiet, divisque videbit
permixtos heroas et ipse videbitur illis,
pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
errantis hederas passim cum baccare tellus
mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens et fallax herba veneni
occidet; Assyrium volgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes et facta parentis
iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,
molli paulatim flavescet campus arista

4 *cymaei*] etiam Ansil. (CI 146), *cumei* R α. **5** *nacitur* R. **7** *dimitt-* R α. **14** *irrita* α | *formine* R, *-idine* R^{c}, Ansil. (PE 1024). **17** *patris* R, *-riis* R^{2}. **18** *ac tibi nulla puer primo* R. **19** *errantes ed-* α. **20** *fundit* γ, *-det* γ^{1}. **21** *referant* γ, *-rent* γ^{1}. **25** hunc v. ima p. add. α^{1} | *uulgo* α γ. **26** *ac* R | *parentis* γ α^{1}, Filarg., « tui parentis virtutes » Serv., Nonius (331, 32), *parentes* α, *-tum* R γ^{1} (*parentum* Vergilius scripsit cum nascens puer caelo descendebat, nullo certo parente; deinde cum eum Pollione ortum fecisset, correxit *parentis*). **28** *flauescit* R γ, *-scet* γ^{1}.

incultisque rubens pendebit sentibus uva
et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
quae temptare Thetin ratibus, quae cingere muris
oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
delectos heroas; erunt etiam altera bella
atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
mutabit merces, omnis feret omnia tellus:
non rastros patietur humus, non vinea falcem,
robustus quoque iam tauris iuga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores,
ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
murice, iam croceo mutabit vellera luto;
sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.
« Talia saecla » suis dixerunt « currite » fusis
concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
terrasque tractusque maris caelumque profundum;
aspice, venturo laetantur ut omnia saeclo!
O mihi tum longae maneat pars ultima vitae,
spiritus et quantum sat erit tua dicere facta!

31 *uestia* R, *-tigia* R^{3} | *frusdis* R. **32** *tentare* α | *thetim* γ, *-tī* α. **33** *tellurem infindere sulco* R (at cf. A. V 142 *infindunt sulcos*). **36** *adque* R. **43** *artes* γ, *aries* γ^{1}. **45** *pascentes* α. **48** *magnus* R | *iam* add. R^{1}. **49** *clara* α | *soboles* α γ, *sub-* γ^{1}.

IV **52-63** P R α γ. — **52** *laetentur* P α γ | *omnisa* P, *-ia* P^{2}. **53** *longe* P γ | *parultiama* P, *-rsultima* P^{1}.

Non me carminibus vincat nec Thraecius Orpheus,
nec Linus; huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphi Calliopea, Lino formonsus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
  Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer: quoi non risere parentes,
nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubilist.

55 *uincat* P γ^1, *-cet* P^2 R γ | *thraecius*] *teracius* P, *thrac-* P^2 R α γ | *orphoeus* α. **56** *hinc* (?) R, *huic* R^2 | *adque* P | *huic*] *fuit* R | *adste* P, *-sit* P^2. **57** *orphei* P γ, *-hi* γ^1, « ut pro *Orpheo* dicere maluerit *Orphi* graece declinando » Macrob. (Sat. V 17, 19; variat Vergilius; hic *orphi,* at G. IV 545, 553 *orphei;* A. V 184 *mnesthi,* at A. X 129 *menestheo*) | *caliopea* P, *call-* P^2, *calliope* α | *lieno* R | *formonsus* P, *-osus* P^2 α γ. **58-59** horum v. ordinem mutavit α. **58** *pan etiam*] *pan deus* Donat. (Ter. Hec. II 2, 13) | *arcadiedicacat* (ad seq. v. aberravit) P, *arcadia mecum* P^2 | *ludice* P. **59** *arcadiae* R | *arcadiedicacatsiludiceuictam* P, *arcadia dicet se iudice uictum* P^2 (fortasse codicum P R lectio fuit *arcadia edicat,* quae nimis asperam synaloepham faceret). **60** *mater* P, *-trem* P^2. **61** *matri* P γ^1, *-ris* P^2 γ | *decim* R | *tulerunt*] etiam Dan., *-rum* P, *-runt* P^2, *-rant* α, « alii *abstulerint* legunt » Serv. **62** *rarue* P, *pa-* P^2 | *quoi*] ego, *qui* Quintil., *cui* P R α γ, Serv.; « est figura et in numero, vel cum singulari pluralis subiungitur: *gladio pugnacissima gens Romani,* gens enim ex multis; vel ex diverso: *qui non risere parentes nec deus hunc- cubili est,* ex illis enim *qui non risere,* hic *quem* non dignata » Quintil. (IX 3, 8; at non intellexit illud *qui* in exemplari vergiliano suo repertum meram esse varietatem scriptionis pro *cui* idque eo magis miramur, quod idem alibi, I 7, 27, testatus erat consuevisse, se puero, *quoi* pro *cui* scribi, ut ab illo *qui* distingueretur; cf. Donat. in Ter. And. I 1, 140 « et *cui* per q veteres scripserunt »; de hac re disputavi *Rivista di filolog.* N. S. 3, 1925, p. 242-3; aliud Vergilianum perperam intellexit Quintilianus, cf. A. III 659 *manum*). **63** *dia* P, *dea* P^2 | *cubilist*] *-lest* R, *-li est* P α γ^1, *-le est* P^2 γ.

V.

MENALCAS

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
tu calamos inflare levis, ego dicere versus,
hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?

MOPSUS

Tu maior; tibi me est aecum parere, Menalca,
sive sub incertas zephyris motantibus umbras,
sive antro potius succedimus. Aspice, ut antrum
silvestris raris sparsit labrusca racemis.

MENALCAS

Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.

MOPSUS

Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?

MENALCAS

Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes
aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri;
incipe, pascentis servabit Tityrus haedos.

V 1-85 PRαγ. — *Menalcas Mopsus* PR. 2 *leues* Rα. 3 *consed-* γ, *consid-* $γ^1$. 4 *aequm* R, *-uum* α. 5 *tephyris* P, *ze-* P^1. 7 *librusca* P. 8 *certat*] etiam Serv., *certet* Pγ (*certet* ex seq. v. inlatum). 10 *phyllides* R. 12 *-centes* Rα.

MOPSUS

Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
carmina descripsi et modulans alterna notavi,
experiar; tu deinde iubeto certet Amyntas.

MENALCAS

Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
Sed tu desine plura, puer; successimus antro.

MOPSUS

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim
flebant; vos coryli testes et flumina Nymphis:
cum, complexa sui corpus miserabile nati,
atque deos atque astra vocat crudelia mater.
  Non ulli pastos illis egere diebus
frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
interitum montesque feri silvaeque locuntur.

13 *que* P, *quae* P^2. **14** *describsi* P γ^1, *-ipsi* γ. **15** *iubeto ut* R α. **16** *psallenti* α, *pallente* γ, *-ti* $\alpha^1 \gamma^1$. **18** *iudiciosnosto* P, corr. P^1 | *cidit* P, *ced-* P^2. **19** hunc v. Menalcae tribuunt codd.; nec iniuria, Mopsus enim puer est, qui a Menalca m a i o r e (v. 4) iubetur | *set* P | *altro* P, *ant-* P^2. **20** *extin-* P α γ | *daphnin* R. **21** *ocryli* R. **22** *curpus* P. **25** *frigidapnhi* R | *necqueamem* P (duplex in exemplo lectio: *nec, neque*), *neque amnem* P^2. **26** *herbum* P, *-bam* P^2, *-ba* R. **27** *dapnhi* R | *ingemusse* P, *gemuisse* R. **28** *montis* γ | *feri*] etiam Serv., Ansil. (MO 337), *-runt* P | *siluaes* P, *-ae* P^1 | *loquuntur* α, *locuu-* P.

Daphnis et Armenias curru subiungere tigris
instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi
et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,
tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
infelix lolium et steriles nascuntur avenae;
pro molli viola, pro purpureo narcisso
carduos et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis;
et tumulum facite et tumulo superaddite carmen:
DAPHNIS EGO IN SILVIS, HINC USQUE AD SIDERA NOTUS,
FORMONSI PECORIS CUSTOS, FORMONSIOR IPSE.

MENALCAS

Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiperas, sed voce magistrum:
fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.

29 *dapnhnisetarmenia* R | *subiiun-* R | *tigres* α. **30** *dapnhis* R. **33** *gredibus* P | *pinguius* P γ. **36** *ordea* α γ. **37** *iolium* P | *dominantur* α. **38** *uiolae* P, *-la* P^1, *-laet* R | *purpureo*] etiam Serv., Filarg., « primus modus soloecismi fit per inmutationem generum nominis, cum dicimus... *purpurea narcissus,* cum... debeat dici... *purpureus narcissus* » Diomed. (I p. 453, 34 K) | *pureo* P, corr. P^1. **39** *carduos*] *-dos* P, *-duus* P^2 R α γ | *palinuruss* P, corr. P^2. **40** *hum* P, *-mum* P^2 | *aras* R. **41** *siba* P, *-bi* P^2 | *dapnhis* R. **42** *facit* R. **43** *dapnhis* R | *siliis* P, *-luis* P^2. **44** *formonsi* P, *-osi* P^2 α γ | *pecori* P γ, *-is* P^2 $γ^1$ | *formonsior* P, Ti. Claud. Donat. (A. VI 654), *-osior* P^2 α γ. **45** *lale* P, *ta-* P^3. **46** *lassis* R | *astum* P, *aes-* P^3. **47** *adque* P, *aquae* P^2 | *-tringere* α. **48** *equiperas* P α γ | *set* P R. **49** *abillo*] *apollo* R. **49-51** hos v. turbavit P, litteris a c b ordinem restit. P^3.

Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim
dicemus Daphnimque tuum tollemus ad astra,
Daphnim ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.

MOPSUS

An quicquam nobis tali sit munere maius?
et puer ipse fuit cantari dignus et ista
iam pridem Stimichon laudavit carmina nobis.

MENALCAS

Candidus insuetum miratur limen Olympi
sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
  Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
intonsi montes, ipsae iam carmina rupes,
ipsa sonant arbusta: « Deus, deus ille, Menalca! »
  Sis bonus o felixque tuis! en quattuor aras:

51 *dapnhin* R | *tolleremus* α. **52** *daphnim*] synaloepha omissa est, ut II 53 *pruna honos, dapnhin* R | *amuit* P, *amau-* P^2 | *dapnhis* R. **53** *quicquid* γ, *-cqui* α | *munera* P γ, *-re* γ^1. **55** *timichon* P, *st-* P^2 | *laudabit* P. **56** *olimpus* α, *-pi* α^1. **57** *dapnhis* R. **58** *alacres* R | *cetera*] cf. Liv. IV 41, 8 *plaustra iumentaque alia*. **59** *dryades* R. **60** *insidiis* γ, *-dias* γ^1. **61** *modum* R, *dolum* R^1 | *dapnhis* R. **62** *letitia* P, *lae-* P^2. **63** *ipsae iam*] *ipsaetiam* R, *-seiam* P α γ, *-saeiam* P^2. **64** *deuille* P, *-usille* P^2 | *deus deus* continuat P, « deus, deus est Daphnis » Serv.; « multi sic distingunt *ipsa arbusta sonant deus* et subiungunt *deus ille Menalca,* ut sit sensus: si enim rupes et arbusta deum dicunt, deus est, o Menalca » Dan. **65** *Mop* in marg. P^1, del P^2 | *quatuor* α.

ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis
craterasque duo statuam tibi pinguis olivi;
et, multo in primis hilarans convivia Baccho,
ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
vina novom fundam calathis Ariusia nectar.
  Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon;
saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus.
Haec tibi semper erunt, et cum sollemnia vota
reddemus Nymphis et cum lustrabimus agros.
  Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
agricolae facient; damnabis tu quoque votis.

MOPSUS

Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
nam neque me tantum venientis sibilus austri,
nec percussa iuvant fluctu tam litora, nec quae
saxosas inter decurrunt flumina valles.

66 *dapnhi* R | *duas* P^2 γ, Serv., *dus* P, *dua* $γ^1$, *duoque* α, Serv. (A. III 305). **67** *quod* P, *quodannis* P^2 R γ. **68** hic prius, a *crateras* ad *cantabunt* aberrans, v. 72 scripserat, dein spongia del. P | *carateras,* coeperat enim *cantabunt* scribere (cfr. A. V 593), P, *cra-* P^2 | *duas* α, « *crateres duos* masculinum est » Ansil. (CR 38) | *olibi* add. P^2. **69** *hilaran* P, *-ns* P^2. **71** *nouom*] *-uum* P R α γ | *ariusi* P, *-ussia* α, *-usia* P^2 $α^1$ | *nactar* P, *nec-* P^2. **72** *cantabunt mihi* tit. Pomp. 5195. **73** *-antes* R α γ | *saturos* R, *-tiros* γ. **74** *hec* P, *haec* P^2. **75** *cumu* P, *-m* P^2. **76** *Men* in marg. P^1, del. P^2. **77** *pascun-* γ | *cide* P, *cicadae* P^2. **79** *quodannis* R. **80** *uoti* R, *-is* R^c. **81** *que* P, *quae* P^2 | *donam* P, *-a* P^2. **83** *persussa* P, *percu-* P | *neque* P, *necquae* P^2. **84** *decorrunt* P, corr. P^2.

MENALCAS

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta;
haec nos « Formonsum Corydon ardebat Alexim »,
haec eadem docuit « Cuium pecus? an Meliboei? »

MOPSUS

At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,
non tulit Antigenes (et erat tunc dignus amari),
formonsum paribus nodis atque aere, Menalca.

VI.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
nostra neque erubuit silvas habitare Thalea.
Cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem

85 *haec* P, *hac* P^1 | *nus* R, *nuos* P, *nos* P^2 R^2 | *donabimus* R, *-auimus* R^1 (mutando ostendit se illud *ante* non intellexisse, quod non ' antea ' significat, sed ' primum, ' scil. ut donandi initium faciamus).

V **86-90** P R V α γ. — **86** *formonsum* P V^1, *-osum* P^2 V α γ | *corydun* P, *-don* P^2 | *alexī* R, *-xin* P α. **87** *de* P, *eadem* P^2 | *meliboei* P, *-oeï* P^2. **88** *mecum* add. P^2. **89** *antigines* P, corr. P^2 | *nunc* P, *tunc* P^2, *tum* R α γ. **90** *formonsum* P, *-osum* P^2 α γ | *nodus* P, *-dis* P^2 | *adque* R | *ere* P.

VI **1-19** P R V α γ. — *Faunorum Satyrorum et* (*et* add. R) *Silenorum dilectatio* (*de-* R) P R, evanuit in V | *Poe* in marg. P^1 | **1** *prima*] scil. ab Eclogis scribendi initium fecit, duabus in primis, II et III, quae iam in V 86-87 afferuntur | « *Syracosio* graece ait, nam latine *Syracusanus* dicimus » Serv., *siracusio* α, schol. Ver. | *digata* V. **2** *nec* R V | *siluis* R | *thalea*] etiam schol. Ver. (cf. I 30 *galatea*, IV 57 *calliopea*, G. I 437 *panopea* etc.), *thalia* γ, *ta-* α; « *Thalia*... graece ait, nam latine *Thalea* debuit dicere, sicut Κυθέρεια *Cytherea*; sed propter euphoniam contempsit ius regulae et ideo in graecitate permansit » Serv. (illud immo verum est, Servi aetate pronuntiationem mutatam esse). **3** *cyntius* V.

vellit et admonuit « Pastorem, Tytire, pinguis
pascere oportet ovis, deductum dicere carmen ».
Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella)
agrestem tenui meditabor harundine Musam.
Non iniussa cano. Si quis tamen haec quoque, si quis
captus amore leget: te nostrae, Vare, myricae,
te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ullast,
quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro
Silenum pueri somno videre iacentem,
inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho;
serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant
et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Adgressi (nam saepe senex spe carminis ambo
luserat) iniciunt ipsis ex vincula sertis;
addit se sociam timidisque supervenit Aegle,
Aegle, Naiadum pulcherrima, iamque videnti
sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens « Quo vincula nectitis? » inquit;
« solvite me, pueri; satis est potuisse videri.
Carmina quae voltis cognoscite; carmina vobis,

4 *et* add. P^{2} | *monuit* R | *pingues* (?) V. 5 *oues* R α γ | *deductum*] etiam schol. Ver., Filarg.; « *deductum*... translatio a lana, quae deducitur in tenuitatem » Serv., « *deductum* pro tenui et subtili eleganter positum est » Macrob. (Sat. VI 4, 12), *diductum* P V. 8 *musa* V. 10 *amorrel-* R | *legat* α | *nostre* P, *-rae* P^{2}. 11 *ulla est* P R α γ. 12 *quarii* P, *quaeuari* P^{2} | *praescribsit* V, *prescripsit* P, *praes-* P^{2}, *pers-* γ. 13 *manasylos* V, *mnasyllos* P, *-yllus* R, Filarg., *-ylos* P^{2} V^{1}, *-ylus* ex corr. γ^{1}, *nasylus* α. 15 *iacco* V, *-ccho* V^{1}. 16 *capti* R, *-piti* R^{1} | *iacebat* P, V (?). 17 *adtrita* R, *-cta* α | *catharus* P. 18 *adressi* P, *adgr-* P^{2} | *saepes* P, *-pe* P^{2}. 19 *inciuntipsisis* V.

VI 20-47 P R α γ. — 20 *socias* P, *-am* P^{2}. 21 *namq* P, *iamque* P^{2}. 22 *ooris* in *mor-* corr. R. 23 *ridens* P, *inr-* P^{2}, « *ridens* irridens » Dan. 25 *que* P, *quae* P^{2} | *uoltis* P R^{2}, *uul-* P^{2} R α γ.

huic aliut mercedis erit ». Simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
ludere, tum rigidas motare cacumina quercus;
nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.
  Namque canebat, uti magnum per inane coacta
semina terrarumque animaeque marisque fuissent
et liquidi simul ignis; ut his ex omnia primis,
omnis et ipse tener mundi concreverit orbis;
tum durare solum et discludere Nerea ponto
coeperit et rerum paulatim sumere formas;
iamque novom terrae stupeant lucescere solem,
altius atque cadant submotis nubibus imbres,
incipiant silvae cum primum surgere cumque
rara per ignaros errent animalia montis.
  Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres furtumque Promethei.

26 *aliud* R α γ | *incet* P, *-cipit* P². **27** *uideris* P. **28** *luderet* P, *-re* P² | *regidas* R. **29** *pernasia* P, *par-* P². **30** *phodope* P, *rh-* P² | *mirantur*] huius schematis alcmanici aliud exemplum habes, A. IX 288; aliter G. II 98; *-atur* P α γ. **32** *terrum* P | *anime* P, *-mae* P²; « *animae* i. e. aeris... Lucretius (I 715) *ex imbri terra atque anima nascuntur et igni* » Serv. | *fuisset* P. **33** *etliquid* P, *utl-di* P² | *ignis* P, *-nes* P² | *ex omnia*] iunge *his ex primis* ut v. 19 *ipsis ex sertis;* sententiam declarat Lucret. (I 59-61): *semina rerum..., corpora prima quod ex illis sunt omnia primis* | *exordia* R α γ ceterique omnes | « *ut his exordia* ex seminibus, hoc est atomis; *primis* pro principiis » Dan. **34** *omnis*] *omnisa* in *omnia* corr. P (duplex in exemplo lectio: *omnis, omnia*), *omnia* R α γ ceterique et Serv. | *mundi* i. e. caeli, Lucret. (V 510) *magnus caeli orbis* | *urbis* P, *or-* P². **35** *discluderenterea* R | *nerea* i. e. aquas. **36** *forma* P, *-as* P². **37** *nouom*] *-uum* P R α γ. **38** *utque* R | *summotis* P R γ | *signibus* R. **39** *silue* P, *-uae* P² | *primus* P, *-um* P². **40** *ignaros*] scil. stupentes, qui nunquam antea animalia vidissent, *ignotos* P α γ. **41** *hic* P γ, *hinc* γ¹ | *phyrrae* R, *pyrphae* P | *aturnia* P, *sat-* P² | post hunc v. add. *hinc hominum quondam genus et primordia regum* α. **42** *-caseas* α | *referat* P, *-ert* P² | *fortum* P, *fur-* P².

His adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum
clamassent, ut litus « Hyla, Hyla » omne sonaret.
Et fortunatam, si numquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore iuvenci:
A, virgo infelix, quae te dementia cepit?
Proetides implerunt falsis mugitibus agros;
at non tam turpis pecudum tamen ulla secuta
concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
et saepe in levi quaesissent cornua fronte.
A, virgo infelix, tu nunc in montibus erras;
ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
ilice sub nigra pallentis ruminat herbas
aut aliquam in magno sequitur grege. « Claudite, Nymphae,
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus,
si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
errabunda bovis vestigia; forsitan illum,
aut herba captum viridi aut armenta secutum,
perducant aliquae stabula ad Cortynia vaccae ».
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam;

43 *hylan* disting. P^{2}, quasi *quom* corrigendum sit | « ordo est: his adiungit quomodo Hylam nautae clamassent in fonte relictum » Dan. (*quo* certe interrogativum est; potuit Vergilius scribere: *Hylan ut nautae fonte relictum,* at infra alterum *ut* sequebatur; quamquam A. VIII 88-89 bis *ut* invenitur). **45** *fuisset* P, *-ent* P^{2}. **46** *pasyphen* α, *phasiphen* γ | *iuuei* P, *niuei* P^{2}. **47** *que* P, *quae* P^{2}.

VI 48-86 M P R α γ. — **48** *prot-* R | *inple-* M P α γ. **49** *ad* P | *turpes* α | *tantum* α | *secuta est* R γ, *sequta e-* α. **50** *timuissent* R. **51** *laeui* M, *le-* M^{2} | *quesissent* P, *quaesisset* M R α γ | *corua* M, *-rnua* M^{1}. **53** *natus* P, *la-* P^{2} | *fuitus* P. **54** *-entes* α γ | *herbis* R. **55** *-ditae* P | *nymphe* P, *-ha* M; « *claudite nymphae* melius hoc a persona Pasiphaes dictum accipimus » Serv. **56** *dicteae* M γ, *-tee* α, *-tae* R | *numphae* P. **57** *ferantt* P | *sefeouia* P | *nos* ·*ri* M | « *nostris:* et hic *nostris* ut Terentius in Heaut. (476) *quomodo minimo periculo id demus adulescentulo,* i. e. des » Dan. **58** *forsitam* P R. **59** *herbam* M, *-a* M^{1} | *sequtum* α. **60** *alique* P, *-quae* P^{2} | *at* P | *cortynia*] etiam Servi et Filargiri codd. omnes, *gor-* P. **61** *tunc* γ | *cani* in *-it* corr. R, *capit* M, *canit* M^{2}.

tum Phaëthontiadas musco circumdat amarae
corticis atque solo proceras erigit alnos.
 Tum canit, errantem Permessi at flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum
utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
ut Linus haec illi divino carmine pastor,
floribus atque apio crinis ornatus amaro,
dixerit: « Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat
cantando rigidas deducere montibus ornos;
his tibi Grynei nemoris dicatur origo,
ne qui sit lucus, quo se plus iactet Apollo ».
 Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secutast
candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto

62 *phaeton-* R | *amare* P, *-rae* P^{2}, *-ro* R | « *amarae corticis* alibi (A. VII 742) *raptus de subere cortex:* quod magis sequi debemus, ut masculino utamur » Serv.; « cum dicimus *amarae corticis...* cum debeat dici *amari corticis* » Diomed. (I p. 453, 34 K); « *corticem* priores genere feminino dixerunt » De dub. nom. (V p. 576, 7 K), « *corticis amarae* nove genere feminino » Ansil. (CO 2320). **63** *adque* R. **64** *ad* M R α γ | *ga*m* M. **65** *aonias* R | *montis* P, *-tes* M P^{2} α | *duerit* P, *duxe-* P^{2}, *dixe-* M R. **67** *uino* M, *diu-* M^{1}. **68** *tloribus* P, *fl-* P^{2} | *atqueue* M, *atque* M^{2} | *apo* P, *apio* P^{2} | *crinis* P, *-nes* P^{2} α | post *crinis* add. *atque* M, del. M^{1}. **69** *hos* add. R^{1} | *ibi* R | *tidibant* P, *tibidant* P^{2}. **70** *ascreao* P, *-reo* M R α γ | *qu* P, *quos* P^{1}. **71** *ornus* P, *-nos* P^{1}. **72** *grunaei* M P. **73** *ne* P, *nec* P^{2} R | *quis* P, *-i* P^{2} | *pulosactet* P, *plus iac-* P^{2}. **74** *quit* P | *loquar*] hic Sileni munus Vergilius ipse usurpat | *loquaor* in *-uar* corr. P (duplex in exemplo lectio; Ansileubi codd., SC 159, alii *loquor* alii *loquar*) | *ut* R | *cyllam* P, *sc-* P^{2} | *scyllam. nisi* M^{2}, punctum del. M^{4}, *nisi* disting. P^{2}, « modo Vergilius aut poetarum more miscuit fabulas... ut diceret *Scyllam Nisi* pro Phorci...; aut certe sit hysteroproteron, ut quasi utriusque fabulae videatur facere commemorationem, ut intellegamus: quid loquar Scyllam Nisi aut quam fama secuta est..., aut certe *aut* bis accipiamus: quid loquar aut Scyllam Nisi aut quam fama secuta est » Serv. (id unum verum est, Vergilium hic memoria deceptum esse, ut A. VI 601-602; hanc de Scylla narrationem refutavit Ciris auctor (59-61), tribus his Vergili versibus ad verbum repetitis) | *secutast* R, *-ta est* M (?) P R^{2} α γ. **75** *latr- sub-* R. **76** *dulicia* P, *-cias* M P^{2} R γ, *-chias* R^{2}, *dyl-* γ^{1}.

a, timidos nautas canibus lacerasse marinis;
aut ut mutatos Terei narraverit artus,
quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
quo cursu deserta petiverit et quibus ante
infelix sua tecta super volitaverit alis?
  Omnia quae, Phoebo quondam meditante, beatus
audiit Eurotas iussitque ediscere lauros,
ille canit; pulsae referunt ad sidera valles,
cogere donec ovis stabulis numerumque referre
iussit et invito processit Vesper Olympo.

VII.

MELIBOEUS

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
Thyrsis ovis, Corydon distentas lacte capellas,
ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
et cantare pares et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,

77 *cantabimus,* dein radendo *canibus* M | *iacer-* P. **78** *ut* add. M^1 | *terrei* M, corr. M^1 | *narrauerat* R, *-ertit* P, *-erit* P^2 | *actus* R. **79** *phillo-* M, *filomena* α | *que* P, *quae* P^2 | *pararet* P α, *-rit* P^2. **80** *petiuiret* P, *-uerit* P^2. **81** *supra* R | *uoluta-* α | *alis* M, *ales* M^2 R. **82** *que* P, *quae* P^2. **83** *audit* R | *discere* P | *laurus* M. **85** *oouis* M, *ouis* M^1, *ous* P, *oues* M^2 P^2 R γ, Asper (p. 535) | *referre* M P, *-rri* M^2 P^2 γ. **86** *iussisset* P, *iussit et* P^2.

VII **1-11** M P α γ. — *Meliboeus Corydon Thyrsis* M P. **1** *suba* P, *sub* P^2. **2** *conptul-* P, *conpul-* γ | *quae* M, *que* M^2 | *corydun* P, *-don* P^2 | *undam* P, *unum* P^2. **3** *ouis* P, *oues* P^2 α γ | *distentae* (?) M, *-tas* M^1. **6** *hic* P α | *myrtus* γ, schol. cod. M (Ihm, Rhein. Mus. 45 p. 635).

vir gregis ipse caper deerraverat; atque ego Daphnim
aspicio. Ille ubi me contra videt, « Ocius » inquit
« huc ades, o Meliboee; caper tibi salvos et haedi;
et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata iuvenci;
hic virides tenera praetexit harundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu ».
Quid facerem? neque ego Alcippen nec Phyllida habebam,
depulsos a lacte domi quae clauderet agnos;
et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum;
posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
coepere; alternos Musae meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.

CORYDON

Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
quale meo Codro, concedite: proxima Phoebi
versibus ille facit, aut, si non possimus omnes,
hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

7 *per* P, *cap-* P^2 | *daphnī* M α, *-nin* γ. 8 *me ubi* α | *contrameidet* in *-muidet* corr. M, *contrauidet* M^1. 9 *u* P, *o* P^2 | *saluos*] *satuus* P, *saluus* M P^1 α γ. 10 *quit* P. 11 *uent* P, *uenient* P^2.

VII 12-36 M P V α γ. — 13 *mincus* P, *miciu* M, *mincius* M^1 P^2 | *atque* α, *etquae* M, *éque* M^2, *eq-* $α^1$ | *quercu* M. 14 *quit* P. 15 *que* P, *quae* P^2 | *agnos*] etiam Dan., *hedos* M, *haed-* M^1, *agnos* M^2. 18 *ambos* M, *-o* M^1. 19 *meminissae* P, *-sse* P^2 | « si *volebant*, sensus est: musae utriusque meminerant; sed multi *volebam* legunt, ut sit: optabam, o musae, meminisse alternos » Serv. 20 *ribat* P, *referebat* P^2. 21 *libethridens* M, *-des* M^1. 22 *foebi* P, *phoebo* V. 23 *possimus* M P γ, *possumus* M^1 P^2 $γ^1$ α, Serv., evanuit in V (cf. Suet. Aug. 87 « Augustus ponit *simus* pro *sumus* »; VIII 63 forma variatur; Plaut. Stich. 434 *sumus* A, *simus* P) | *omnes* scil. id facere. 24 *pendebis* Dan.

THYRSIS

Pastores, hedera nascentem ornate poetam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;
aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

CORYDON

Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvos
et ramosa Micon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
puniceo stabis suras evincta coturno.

THYRSIS

Sinum lactis et haec te liba, Priape, quotannis
exspectare sat est; custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

CORYDON

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
candidior cycnis, hedera formonsior alba,

25 *hadera* P, *hed-* P^2 | *nascente* M, *-tem* Serv., *crescentem* M^2 P α γ, Serv. (IV 19), Filarg., evanuit in V. 27 *placidum* α | *laudauit* γ, *-arit* $γ^1$, *-auerit* P | *bacchare* P. 29 *setosi* P | « *caput* < *hoc* > *apri* multi per duas c scribi volunt propter metrum... ; et si *apri* tamquam venator, si *capri* tamquam pastor » Dan., « *apri* » id. ad v. 31 (cf. A. II 664) | *paruos* M, *-uus* M^2 P α γ, evanuit in V. 30 *rarosa* M | *micon* M, *myc-* M^2 P V γ | *cernus* P, *-nui* P^2. 31 *leui* M, *lé-* M^2. 32 *puniceos* P, *-o* P^2 | *cothurno* α. 33 *libera* P, *-ba* P^2 | *quodan-* V. 34 *expec-* P γ | *hosti* P, *horti* P^2. 35 *nocte* P, *nunc te* P^2 | *marmorem* P, *-reum* P^2 | *feoimus* P, *feci-* P^2 | *altu* P, *attu* P^2. 36 *-uram* M | *suppleuerit* P, *-ris* P^2.

VII 37-70 M P α γ. — 37 *hyble* P, *-biae* M, *-blae* M^2. 38 *cygnis* (?) M, *cycnis* M^1 | *edera* P | *formonsior* P, *-osior* M P^2 α γ.

cum primum pasti repetent praesaepia tauri,
si qua tui Corydonis habet te cura, venito.

THYRSIS

Immo ego Sardoniis videar tibi amarior herbis,
horridior rusco, proiecta vilior alga,
si mihi non haec lux toto iam longior annost.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuvenci.

CORYDON

Muscosi fontes et somno mollior herba,
et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,
solstitium pecori defendite; iam venit aestas
torrida, iam lento turgent in palmite gemmae.

THYRSIS

Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis
semper et adsidua postes fuligine nigri;
hic tantum boreae curamus frigora, quantum
aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.

39 *repetant* γ, *-tent* γ^1 | *praesaepia* M, *-sepia* M^2 α γ. **40** *corydoniis* P, *-nis* P^2. **41** *sardontis* P, *-niis* P^2 | *videor* P, *-ear* P^2. **43** *annost* M, *-oest* M^2 P α γ. **45** *sompno* α, *sommo* M. **46** *quae* add. P^2 | *arbustus* M, *-utus* M^1. **47** *eefend-* in *defend-* corr. P. **48** *tam* P, *iam* P^2 | « bene tarde frondere vites commemorat in Venetia » Serv. (scil. *lento* legebat), *laeto* M γ, *lete* α, *lento* M^2. **49** *taedepingus* P, corr. P^2. **50** *potes* M, *post-* M^1 | *etuligine* P, *ful-* P^2. **51** *hinc* γ, *hic* γ^1, « nonnulli *hinc* legunt, ut sit intellectus: quia in domo sua semper ignis sit, ideo subiectum *hinc tantum...*; sane *hinc* alii propterea, alii loci significationem accipiunt » Dan. | *quontum* M, *quan-* M^1. **52** *numerum* scil. ovium; III 34 *numerant*, VI 85 *numerum* | *turrentia* P, *tor-* P^2 | *ripa* P, *ripis* (?) in *ripas* corr. M.

CORYDON

Stant et iuniperi et castaneae hirsutae,
strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma,
omnia nunc rident; at si formonsus Alexis
montibus his abeat, videas et flumina sicca.

THYRSIS

Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba,
Liber pampineas invidit collibus umbras;
Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit,
Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri.

CORYDON

Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
formonsae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo;
Phyllis amat corylos; illas dum Phyllis amabit,
nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phoebi.

THYRSIS

Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
populus in fluviis, abies in montibus altis;

53 *cor* (i. e. corydon) *stant* P, *stant* P^2 | *-ipiri* P. **54** *isua* P, *sua* P^2. **55** *formonsus* P, *-osus* M P^2 α γ. **56** *abeat*] etiam Filarg., *habeat* γ, *aberiturt* P, *aberit* P^3. **57** *et* P, *aret* P^2 | *eris* P, *ae-* P^2, *acris* γ. **59** *pyllidis* M, *phy-* M^2 | *nostae* P, *-trae* P^2 | *uidebit* M, *uire-* M^2. **60** hunc v. om. P, add. imo marg. P^3. **62** *formonsae* P, *-osae* M P^2 α γ | *uyrtus* M, *myr-* M^1, *uirtus* P. **63** *pyllis* M, *phy-* M^2 | *dumphyllisamabit* in ras. M (librarius, credo, ad *corylos* seq. v. aberrans, *nec laurea phoebi* scripserat). **64** « in Hebri : *nec myrtus vincet Veneris nec laurea Phoebi* » Dan. **65** *siluis*] *suis* P | *siluis cedat tibi* (v. 68) M, *siluis pulcherrima* M^1, *pulcerr-* m. post. **65-66** « *fraxinus in silvis pulcherrima* bene singulis loca sua consignavit : *fraxinus in silvis* et post *populus in fluviis*, ut est nunc, in Vari et in Hebri ; prius *populus in fluviis*, dein *fraxinus in silvis* Dan. (agitur de versibus transpositis propter verborum similitudinem).

saepius at si me, Lycida formonse, revisas,
fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.

MELIBOEUS

Haec memini, et victum frustra contendere Thyrsim.
Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

VIII.

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
immemor herbarum quos est mirata iuvenca
certantis, quorum stupefactae carmine lynces,
et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.
  Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi,
sive oram Illyrici legis aequoris: en erit umquam
ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
en erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
sola Sophocleo tua carmina digna coturno?
A te principium, tibi desinam: accipe iussis

67 *ad* P, *ac* M, *at* M^2 | *formonse* P, *-ose* M P^2 α γ. **68** *silvis* disting. P^2 | *cedat*] etiam Serv., *cedet* P γ. **69** *thirsim* α, *thyrsin* P γ, *-ī* M. **70** *corydon* semel P, bis P^2.

VIII **1-18** M P α γ. — *Damonis et Alphesiboei certatio* (*-amen* P) M P. **1** *Poe* in marg. M, *Poet* marg. P^1 | *aphes-* P, *alphes-* P^2. **2** *inmem-* α | *hersarumcus* P, *herbarumquos* P^2. **3** *-antes* P α | *quoruorum* P, *quorurum* P^2 | *tupefactaest* P, *stupefactae* P^2 | *uinces* P, *lyn-* P^2. **4** *suo* M, *-os* M^2 | *linquerunt* γ, *liq-* γ^1, P A C (III p. 50, 144) | *rursus* P, *cur-* P^2. **6** *tum* P, *tu* P^2 | *seum* P, *seu* P^2 | *tam* P, *iam* P^2. **7** *horam* P | *inlyrici* P, *ill-* P^2 | *et* M, *en* M^1 | *eret* P, *erit* P^2. **10** *cothurno* α. **11** *desinam* γ, *-net* M α γ^1, Filarg. (ad v. 6), « *tibi desinet* i. e. in te et in tuis laudibus ipsum carmen finietur » Servi R (in *desinam* synaloepha omissa est, ut V 52 et Enn. A. 354 M. *milia militum octo;* cf. Hom. *Il.* III 97 ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ'ἄρξομαι).

carmina coepta tuis atque hanc sine tempora circum
inter victrices hederam tibi serpere lauros.
  Frigida vix caelo noctis decesserat umbra,
cum ros in tenera pecori gratissimus herba;
incumbens tereti Damon sic coepit olivae:

DAMON

« Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum,
coniugis indigno Nisae deceptus amore
dum queror et divos, quamquam nil testibus illis
profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
  Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis
semper habet, semper pastorum ille audit amores
Panaque, qui primus calamos non passus inertis.
  Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur; quid non speremus amantes?
iungentur iam grypes equis aevoque sequenti
cum canibus timidi venient ad pocula dammae.

12 *carmine* P, *-na* P^2 | *adque* P | *han* M, *-nc* M^1. **13** *inper* (?) M, *inter* M^2 | *haederam* M | *laurus* Charis. (I p. 135, 25 K). **14** *discess-* α. **15** *tera* P, *tenera* P^2. **16** *treti* M, *tere-* M^2. **17** *uenies* P, *-ens* P^2. **18** *nisae* M, *nys-* M^2 P.

VIII **19-44** M P V α γ. — **19** *quaeror* M, *que-* M^2 | *nihil* P | *ilis* (?) M, *ill-* M^2. **20** *adlocuor* P, *-oquor* M^2, *-oquar* M P^2 V. **22** *menalus* P | *nemos* P, *-mus* P^2 | *pinus* P γ, *-nos* P^2 γ^1, evanuit in V, « abusio est *pinos* loqui » schol. Ver. | *-uentes* M V α. **23** *habet* disting. M^2 P^2 | *semper past- amores* in ras., quae prius scripserat spongia del. P. **24** *primus*] etiam Servi R et Dan., *primum* M, evanuit in V (cf. II 32) | *inertes* M α γ, *-tis* γ^1. **25** *menal-* P. **26** *nysa* M P α | *speremu* P, *-us* P^1. **27** *griphes* α | *aequis* P | *aeuom* P, *-o* P^2. **28** *timidi*] « *timidi dammae* dicuntur a Vergilio » Quintil. (IX 3, 6), « *timidi*... pro *timidae* » Charis. (I p. 269, 2 K), Prisc. (III § 7), « dammas masculino, genere posuit » Serv., Filarg., *timidet* P (duplex in exemplo lectio : *timide, -di*), *-dit* P^2, *timidae* M | *lammae* P, *damnae* M, *dammae* M^2 P^2.

Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus. 28 A
Mopse, novas incide faces, tibi ducitur uxor;
sparge, marite, nuces, tibi deserit Hesperus Oetan.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
O digno coniuncta viro, dum despicis omnis,
dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae
hirsutumque supercilium promissaque barba;
nec curare deum credis mortalia quemquam.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saepibus in nostris parvam te roscida mala,
dux ego vester eram, vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me iam acceperat annus,
iam fragilis poteram ab terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor: nudis in cotibus illum
aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes
nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saevos Amor docuit natorum sanguine matrem

28A hunc v. affert γ, om. ceteri (versus intercalaris Damonis decies aeque atque Alphesiboei iterandus est; secuntur hic (29-30) ut illic (77-78) bini versus, cum binis imperativis: hic *incide, sparge*, illic *necte, dic*). 29 *morse* P, *mopse* P^2 | *diducitur* P, *tibid-* P^2. 30 *deserm* P, *-rit* P^2 | *-peros* P | *oetan* V, *-am* M, *-ā* α, *-a* γ, *hoeta* P. 31 *mena-* P. 32 *o* M, *ó* M^2 | *digna* V | *omnes* P α γ. 34 *promissa*] etiam Dan., « *promissa* i. e. pendens » Filarg., *demissa* P, *prolixa* α, evanuit in V, « *promissaque barba :* demissa, prolixa » Servi R (nempe *promissa* per illa duo *demissa, prolixa* declarabant). 36 *mena-* P. 37 *sepius* α. 39 *iam tum me* α | *acciperit* P, *-rat* P^2 | *annos* P, *-nus* P^2. 40 *fragilis* P, *-les* P^2 V α γ | *poteram* P, *-as* P^1 | *ab* P, *ad* P^2, *a* V α γ | *-tigere* P, *-tingere* P^2, « in Corneliani *contingere*, in Ebri *pertingere* » Filarg. 41 *ut uidi* om. V | *adstulit* P, *abs-* P^2. 42 *malios* P, *mena-* P^2 | *ea* P, *mea* P^2. 43 *nun* P, *-nc* P^2 | *nudis* P, Ansil. (CO 2401), *duris* M P^2 α γ (ex A. IV 366). 44 *autmaros* M P γ, Dan. codex, *autismarus* Serv. codd., *hismarus* α, *ismaros* Filarg. | *rhodophe* M.

VIII 45-109 M P α γ. — 45 *puerunt* P, *-rum* P^2. 46 *mena-* P. 47 *saeuos*] *-uus* codd.

commaculare manus. Crudelis tu quoque, mater!
crudelis mater magis, an puer improbus ille?
improbus ille puer, crudelis tu quoque, mater.
   Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae
mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
pinguia corticibus sudent electra myricae,
certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.
   Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiat mare. Vivite, silvae:
praeceps aërii specula de montis in undas
deferar; extremum hoc munus morientis habeto.
   Desine Maenalios, iam desine, tibia versus».
Haec Damon; vos, quae responderit Alphesiboeus,
dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

ALPHESIBOEUS

« Effer aquam et molli cinge haec altaria vitta
verbenasque adole pinguis et mascula tura,
coniugis ut magicis sanos avertere sacris
experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.

48 *comaco-* P. **49** *isprobus* P, *inp-* M P^2 α^1, *imp-* α. **50** *inprobus* P α^1, *imp-* α. **49-50** *crudelis... magis. an puer inprobus. ille improbus. ille puer* disting. M^2, *crudelis mater. magis... inprobus. ille inprobus ille puer* disting. P^2 (intellege: crudelis mater magis an magis crudelis est ille improbus puer? magis crudelis est ille improbus puer, crudelis tu quoque, mater). **51** *mena-* P. **52** *ouis* P, *oues* P^2 α. **53** *quaercus* M | *floreset* P, *-reat* P^2. **54** *pingui* M, *-uia* M^1 | *cortibus* P, *-icibus* P^2 | *electa* P, *-tra* P^2. **55** *certet* M, *-tent* M^2, *centent* α, *can-* α^1 | *cygnis* M. **56** *orion* M, *ar-* M^1. **57** *mena-* P. **58** *fiat*] « *omnia vel medium fiat mare* i. e. ut nihil sit nisi mare » Dan., *fiant* α γ, Filarg., *-at* γ^1 | *uiuitae* M, *-te* M^2. **61** *mena-* P. **62** *Poe* in marg. P^1 | *admon* P, *daman* M, *damon* M^2 P^2. **63** *dicit* P, *-te* P^2. **64** *altari* P, *-ia* P^2. **65** *-gues* α | *eta* P, *et* P^2. **66** *manices* P, *magicis* P^2 | « *sanos sensus* qui modo sani sunt i. e. non amantes; unde contra amantes insanos vocamus » Serv. (cf. Catull. 83, 4 *sana*) | *auertice* P, *-tere* P^2. **67** *hic* add. P^2.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel caelo possunt deducere Lunam,
carminibus Circe socios mutavit Ulixi,
frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi haec primum triplici diversa colore
licia circumdo terque haec altaria circum
effigiem duco; numero deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
necte, Amarylli, modo et «Veneris» dic «vincula necto».
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit
uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam et fragilis incende bitumine lauros:
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis, cum fessa iuvencum
per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
propter aquae rivom viridi procumbit in ulva,
perdita nec serae meminit decedere nocti,
talis amor teneat nec sit mihi cura mederi.

68 *dapnī* M. 69 hunc v. om. M, add. ima p. M^1, erasum iterum scripsit M^2 | *deduce* P, *-cere* P^2. 70 *circe* M, *-cae* M^2 | *-abit* γ | *ulixi*] etiam Ansil. (CI 235), *carminibus circe socios mutavit olixis* tit. Pomp. 1982 | *ulixis* α γ. 72 *ducite* add. P^2 | *duocite* P, *duc-* P^2 | *daphnī* M α. 73 *primus* P, *-um* P^2 | *triplice* M | *diuersas* P, *-a* P^2. 75 *guet* P, *gaudet* P^2. 76 *daphnī* M, *-ni* γ. 78 *marylli* P, *am-* P^1 | *uento* P, *necto* P^2. 79 *ducite* alt. add. P^2 | *daphnī* M α. 82 *sargemolab* P, corr. P^2 | *-giles* α | *laurus* M. 83 *daphni* P, *-is* P^2. 84 *daphnī* M α. 85 *daphnin* M, *-ī* α | *qualis* bis M, del. M^1. 86 *quaerenda* P, *-do* P^2 | *lucula* M, *buc-* M^1, *bucola* P. 87 *quae* P, *aq-* P^2 | *riuom* P, *-uum* M P^2 α γ. | *concumbit* P (recte fortasse, cf. Propert. IV 1, 4 *concubuere boves*), *proc-* P^2, *concumbit, al. procubuit* γ | *ulla* M, *ulua* M^1. 88 *maeminit* P, *me-* P^2. 89 *eneat* P, *ten-* P^2 | *mediri* M, *-deri* M^2.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
pignora cara sui, quae nunc ego limine in ipso,
terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnim.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
ipse dedit Moeris; nascuntur pluruma Ponto.
His ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerim, saepe animas imis excire sepulcris
atque satas alio vidi traducere messis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti
transque caput iace. Nec respexeris! his ego Daphnim
adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
« Aspice: corripuit tremulis altaria flammis
sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit! »
Nescio quid certest et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis ».

90 *ad* M, *ab* M^{2} | *daphnī* M α. **92** *si* P, *sui* P^{2}. **93** *terri* P, *-rra* P^{2} | *daphnī* M α. **94** *urbt* P, *-be* P^{2} | *daphnī* M α. **95** *erbas adque* P | *lecte* M, *-ta* M^{1}. **96** *moerit* P, *-is* P^{2} | *pluruma* M, *-rima* M^{2} P α γ. **97** *aego* P, *e-* P^{2} | *fleri* M, *fie-* M^{1}. **98** *simis* P, *im-* P^{2} | *sepulchis* P, *-chris* M P^{2} α. **99** *trraduce* P, corr. P^{2} | *missis* P, *messes* P^{2} α γ. **100** *daphnī* M α. **101** *iuo* P, *ri-* P^{2}. **102** *nec* P α, *ne* P^{2}, *non* α^{1} | *daphnī* M α. **103** *adgredial* P, *-iar* P^{2} | *nil*] *nihil* M P γ, *nec* α. **104** *daphnī* M α. **105** « *aspice* hoc ab alia dici debet » Dan., « forsitan ancilla dicit » schol. Bern. (scil. v. 105-106 ab Amaryllide pronuntiantur). **107** *certest* P, *-te est* M P^{2} α γ, *-ti est* M^{1} | *hylax* (ὕλαξ)] *hylas* (*hil-*) codd. **108** *credimus-ipsi* in ras. α | *omnia* M, *so-* M^{1}. **109** *parite* P | *carmina par-* M | *daphnī* M.

IX.

LYCIDAS

Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

MOERIS

O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,
quod numquam veriti sumus, ut possessor agelli
diceret « Haec mea sunt; veteres migrate coloni ».
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
hos illi, quod nec vertat bene, mittimus haedos.

LYCIDAS

Certe equidem audieram, qua se subducere colles
incipiunt mollique iugum demittere clivo,
usque ad aquam et veteres, iam fracta cacumina, fagos
omnia carminibus vestrum servasse Menalcan.

MOERIS

Audieras, et fama fuit; sed carmina tantum

IX **1-67** M P α γ. — *Lycidas* (*-a* M) *Moeris* M P. **1** *aut* α, *an* $α^1$ | *orbem* P, *ur-* P^2. **3** *quod* in ras., *al. qua* $γ^1$ | *possesor* P. **4** *ueteris* P, *-res* P^2. **6** *quod* M, *-os* M^2, *-ot* P | *nec* pro non, ex antiqui sermonis consuetudine, cf. A. XII 534 | *uertat bene* P $γ^1$ (scil. caesura bucolica), *bene ue-* P^2 α γ, Serv., Donat. (Ter. Ph. IV 3,73) | *hados* P, *haed-* P^1. **7** *quae* M, *qua* M^2. **8** *incipiant* P, *-iunt* P^2 | *dimitt-* α, Quintil. codd. (VIII 6,46), Dan. cod. **9** *et ad* α | *ueteris -fagi* P α, Quintil. codd. (ib.), Filarg., γ | *fagi, al. fagos* $γ^1$. **10** *seruase* P, *-asse* P^2 | *-alcā* M α. **11** *audierat* P, *-att* M, *-as* M^2 P^2 | *et* add. M^2 | *set* P | *tumantum* in *tan-* corr. P.

nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.
Quod nisi me quacumque novas incidere lites
ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
nec tuus hic Moeris nec viveret ipse Menalcas.

LYCIDAS

Heu, cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
paene simul tecum solacia rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
spargeret aut viridi fontis induceret umbra?
vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,
cum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras?
« Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas,
et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
occursare capro, cornu ferit ille, caveto ».

MOERIS

Immo haec, quae Varo necdum perfecta canebat:
« Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae!)
cantantes sublime ferent ad sidera cycni ».

14 *quocumque* P, *quaecunque, al. qua* γ. **15** *lice* P, *il-* P^2 | *cornisx* M, *-ix* M^1 | *menalcan* P, *-as* P^2. **17** *cadet* P. **19** *umum* P | *hebus* P, *orbis* M, *herbis* M^2 P^2. **20** *sargeret* P, *spa-* P^2 | *fontes* M P γ. **21** *que* P, *quae* P^2. **22** *at* in *ad* corr. M. **23** *es* P, *est* P^2. **24** *totumuastas* M, corr. M^1. **25** *capre* M, *-ro* M^2 | *curnu* P, *cor-* P^2 | *feret* M, *-rit* M^2, *ferit, al. perit* γ (scil. *petit*). **26** *terque* M, *haec quae* M^2 | *baro* M | *perfacta canebam* P, corr. P^2. **27** *uare*] etiam Serv., *bare* M | *modumantea* P, corr. P^2. **27-28** *cupiant superent mantua* (28) *nobis mantua* M, *superet mantua nobis* (28) *mantua* M^2. **28** *ue* M γ | *misere* M P, *-rae* M^2 | *cremone* M P, *-nae* M^2 P^2. **29** *subime* P, *subli-* P^2 | *ferent* P, *-rant* P^2 γ | *cigni* α.

LYCIDAS

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
sic cytiso pastae distendant ubera vaccae;
incipe, si quit habes. Et me fecere poetam
Pierides, sunt et mihi carmina, me quoque dicunt
vatem pastores; sed non ego credulus illis:
nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
digna, sed argutos inter strepere anser olores.

MOERIS

Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
si valeam meminisse; neque est ignobile carmen.
« Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?
hic ver purpureum, varios hic flumina circum
fundit humus flores, hic candida populus antro
imminet et lentae texunt umbracula vites;
huc ades, insani feriant sine litora fluctus ».

30 *cyrneas* M, « *cyrneas*: taxus venenata arbor est quae abundat in Corsica, haec autem insula graece Cyrnos dicitur » Serv., *cryneas* M^2 M^5, *cyrineas* α, *grynaeas* P, *gryneas* γ, *grin-* Mavort. 27, Filarg., « *grineas taxos* qui in insula Cercura (scil. Corcyra) sunt, quae antea Grinea appellabatur » Ansil. (GR 191). **31** *cythiso* P γ. | *dest-* P, *dist-* P^2 | *quit* P, *-id* P^2 α γ. **34** *uaten* P, *-em* P^2 | *set* P | *credululusilis* P, corr. P^2. **35** « *Vario videor* Varius poeta fuit...; nam Varus dux fuit » Serv.; « unde et tragoediam Varius scripsit, quem et Vergilius laudat *nam neque adhuc Vario videor...* » ps. Acro (Horat. C. I 6, 8, ubi de Vario agitur, at in codd. *uarus* scriptum est), *uaro* M P α, om. γ, *uario* $γ^1$, « nonnulli sane Alfenum Varum volunt » Dan. **36** *set* M. **37** *it* P | *lycidam* M, *-clyda* P, *lycida* M^2 P^2 | *cum* P, *mec-* P^2. **40** *pureum* P, *purp-* P^2. **42** *e* P, *et* P^2 | *lenta* P, *tentae* M, *lentae* M^2 P^2. **43** *hunc* P, *huc* P^2 | *insantfeiant* P, corr. P^2.

LYCIDAS

Quid, quae te pura solum sub nocte canentem
audieram? numeros memini: si verba tenerem!

MOERIS

« Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
ecce Dionaei processit Caesaris astrum,
astrum, quo segetes gauderent frugibus et quo
duceret apricis in collibus uva colorem.
Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes ».
Omnia fert aetas, animum quoque: saepe ego longos
cantando puerum memini me condere soles;
nunc oblita mihi tot carmina, vox quoque Moerim
iam fugit ipsa; lupi Moerim videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.

LYCIDAS

Causando nostros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi stratum silet aequor et omnes,
aspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae;

44 *quit* P | *que* P, *quae* P^2. **45** *si* optativae significationis, ut A. VI 187, VIII 560, XI 415; « *si verba tenerem* hoc est carmen non teneo » Dan. | *tenebam* P (fort. in exemplo fuit *tenebem*, cf. I 76 *uidero* P, *-ebo* P^1), *-erem* P^2. **46** *Moe* add. in marg. P^1, om. M α γ, qui v. 46-50 Lycidae continuant | *quit* P, *-id* P^2 | *anticos* γ. **47** *dione* P, *-nei* M P^2 α γ. **48** *gauderendirugibus* P, corr. P^2 | *quod* M, *-o* M^2. **51** *setas* P, *ae-* P^2. **52** *ducere, al. condere* γ. **53** *quod mouerim* M, *quoque morim* M^1 | *moeri* γ. **54** *moerem* M, *-rim* M^2, *-rin* P, *-rī* α. **55** *set* γ. **56** *nostro* M, *-os* M^2. **57** « *aequor* spatium campi » Dan. (immo stagnum prope Mantuam, cf. Liv. XXIV 10, 7 *Mantuae stagnum effusum Mincio amni cruentum visum*) | *omnis* α. **58** *caeci-* M, *ceci-* M^1.

hinc adeo mediast nobis via; namque sepulcrum
incipit apparere Bianoris. Hic, ubi densas
agricolae stringunt frondis, hic, Moeri, canamus;
hic haedos depone, tamen veniemus in urbem.
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
cantantes licet usque (minus via laedit) eamus;
cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.

MOERIS

Desine plura, puer, et, quod nunc instat, agamus;
carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

X

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem:
pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
carmina sunt dicenda; neget quis carmina Gallo?
sic tibi, cum fluctus supterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,
dum tenera attondent simae virgulta capellae.
Non canimus surdis; respondent omnia silvae.

59 *hic* P | *mediaesit* M, *-aest* M^2 P α γ | *spulchrum* P, *sep-* α. **60** *iccipit* P, *inc-* P^2, *incipet* M | *bianori* P, *-ris* P^2 | *ui* P, *ubi* P^2. **61** *acricole* P, *-lae* P^2 | *frondis* P, *-des* M P^2 α γ. **62** *hedos* M α, *ae-* P γ. **63** *meremus* P, corr. P^2. **64** *cantentes* P, corr. P^2 | *laedit* γ, *-det* P α γ^1. **65** *cantentes* P, corr. P^2. **66** *pura* P, *plu-* P^2 | *puer quod nunc* M, *puer nunc q- n-* M^1 P, *puer et quod nunc nunc* M^2, *p- et q- nunc* P^2 (haeserunt librarii quod *puer* ultimam syllabam hic productam habet). **67** hunc v. ima p. add. α^1.

X **1-9** M P α γ. — *Conquestio cum Gallo poeta de agris* M, *Conquaesitio de agris cum Gallo Cornelio* P. **1** *Poet* marg. M, *Poe* marg. P^1 | *cum* M, *hunc* M^1 | *laborum* P, *-rem* P^2. **2** *set* P | *licor-* γ, *liquor-* α. **3** *necet* P, *neget* P^2. **4** *subterlabre* P, *-bere* P^2 α γ. **6** *calli* P, *ga-* P^2. **7** *adton-* α | *sima* P, *-ae* P^2.

Quae nemora aut qui vos saltus habuere, puellae
Naides, indigno cum Gallus amore peribat?
nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi
ulla moram fecere neque Aonie Aganippe.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricae;
pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei.
Stant et ovis circum; nostri nec paenitet illas,
nec te paeniteat pecoris, divine poeta;
et formonsus ovis ad flumina pavit Adonis.
Venit et upilio, tardi venere subulci,
uvidus hiberna venit de glande Menalcas.
Omnes « Unde amor iste » rogant « tibi? » Venit Apollo:
« Galle, quid insanis? » inquit: « tua cura Lycoris
perque nives alium perque horrida castra secutast ».
Venit et agresti capitis Silvanus honore,
florentis ferulas et grandia lilia quassans.

9 *os* P, *uos* P^2.

X **10-77** M P R α γ. — **10** *peribat* M^2 γ, *-iret* M α γ^1. **11** *pharnasii* P | *iuca* P, *iuga* P^2. **12** *mora* M, *-am* M^1 | *aoinie* R, *aoniae* M P γ | *acanippe* P, *aga-* P^2, *aganipse* M | « *Aonie* (scil. Ἀονίη) *Aganippe* nominativi sunt singulares » Serv. (cf. Catull. 61, 28-30). **13** *illum etiam lauri illum fl-* R γ (?) (scil. aliquis ut hiatum tolleret, *illum etiam flevere* coniecit). **14** *pinnifer* R. **15** *men-* M. **16** *ouis* (nomin. plur.) P, *oues* P^2 rell. | *penitet* M α, *paenitaet* P, *-tet* P^2. **17** *tae penitaeat* P, corr. P^2 | *diuinae* M γ, *-ne* M^2 | *poetae* γ, *-te* γ^1. **18** *formonsus* P, *-osus* M P^2 α γ | *oues* α γ, *ouis* γ^1. **19** *utfilio* P, *opilio* P^2 α γ (?), *opulio* Filarg. codd., « *upilio*, nunc *opilio* » Caper (VII p. 112, 5 K), « propter metrum ait *upilio*, nam *opilio* dicimus » Serv., *opilio* Bern. 165 (p. 96), Ansil. (OP 124) | *tarde* P, *dari* M, *tardi* M^2 | *subulci*] etiam Serv. et Dan. **20** *huui-* P, *umi-* R, « *uuidus* unde uvae dictae sunt « Filarg., P A C (I p. 368, 68), « *umidum* est quod extrinsecus habet aliquid umoris, *uvidum* quod intrinsecus..., quod tamen plerumque confundunt poetae » Serv. (immo poetarum librarii) | *hiberna* P, *ib-* P^1. **21** *ibi* P. **22** *inis* R, *insanis* R^1 | *liquoris* α. **23** in hoc v. quae prius scripserat spongia del. P | *perquae* R | *niue* P, *-es* P^2 | *perquae* R | *saxa* P, *castra* P^2 | *secutast* M R, *-ta est* M^2 R^2 P γ, *sequta est* α. **24** *honores* P, *-nere* M, *-nore* M^2 P^1. **25** *-rentes* P R α | *ferylas* R | *gredia* P, *grand-* P^1.

Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi
sanguineis ebuli bacis minioque rubentem;
« Ecquis erit modus? » inquit « Amor non talia curat;
nec lacrimis crudelis Amor nec gramina rivis,
nec cytiso saturantur apes nec fronde capellae ».

Tristis at ille « Tamen cantabitis, Arcades » inquit
« montibus haec vostris, soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
aut custos gregis aut maturae vinitor uvae!
certe sive mihi Phyllis sive esset Amyntas
seu quicumque furor (quid tum, si fuscus Amyntas?
et nigrae violae sunt et vaccinia nigra),
mecum inter salices, lenta sub vite iaceret;
serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
« Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,
hic nemus; hic ipso tecum consumerer aevo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis
tela inter media atque adversos detinet hostis:
tu procul a patria, nec sit mihi credere tantum!

27 *baccis* α | *minlo* P. **28** *ecquis* P, *etq-* P^2 R α γ | *nec* R. **29** *ripis* M, *riuis* M^2. **30** *-thiso* M P | *satyr-* P, *satur-* P^2. **31** *ille* disting. M^2 P^2, « alii *tamen* superioribus iungunt, sed melius ut sic legamus *tamen cantabitis* ut sit sensus: licet ego duro amore consumar, tamen erit solacium, quia meus amor erit vestra cantilena quandoque » Serv. **32** *uostris*] *nostris* P, *ues-* M P^2 R α γ. **33** *tam* P, *tum* P^2 | *quissant* P, *quiesca-* P^2, *-cent* α.**35** *adque* R | *unus* add. M^2. **36** *gregiut* P, *-isaut* P^2 | *uenitur* P, *uinitor* P^2. **37** *pyllis* M, *phylis* P, *phyll-* M^2 P^2. **38** *quit* P | *fulcus* α. **39** *nigre uiole* P, corr. P^2 | *uacinnia* P. **40** *sub uite, al. sub rupe* Filarg. | *iaceres* M P γ, *-ret* P^2 γ^1. **41** *certa* P, *se-* P^2 | *phylliis* in *-llis* corr. P, *pyllis* M γ, *phy-* M^2 γ^1, *phillis* add. α^1. **42** *gelidp* P, *-di* P^2 | *lycori* P M^1, *-is* M P^2, *liquori* α. **44** *inermis* P, *inar-* P^2. **45** *illa* P, *tela* P^2 | *adque* R | *hostis* P, *-tes* M P^2 α. **46** *sic* M | « per parenthesin dictum est *nec sit mihi credere* » Serv. (scil. ut *procul tantum* iungantur)

Alpinas, a, dura nives et frigora Rheni
me sine sola vides. A, te ne frigora laedant!
a, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
« Ibo et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu
carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in silvis inter spelaea ferarum
malle pati tenerisque meos incidere amores
arboribus; crescent illae, crescetis, amores.
Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis
aut acris venabor apros; non me ulla vetabunt
frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
Iam mihi per rupes videor lucosque sonantis
ire; libet Partho torquere Cydonea cornu
spicula, tamquam haec sit nostri medicina furoris,
aut deus ille malis hominum mitescere discat.
« Iam neque Amadryades rursus nec carmina nobis
ipsa placent; ipsae rursus concedite silvae.
Non illum nostri possunt mutare labores,
nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus
Sithoniasque nivis hiemis subeamus aquosae;
nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,

47 *atpinas* P, *alp-* P[2] | *a* M, *á* M[2], *ah* α. **48** *a* M, *á* M[2], *ah* α | *ladant* P, *led-* P[2] | *rheni* M, *laedant* M[2] (aberraverat ad v. 47). **49** *a* M, *á* M[2], *ah* α | *ne* add. P[2] | *ne teneras ne* M, corr. M[2] | *sacet aseera* P, corr. P[2]. **50** *it* P, *et* P[2] | *calchi-* M P, *calci-* R | *uersum* M, *-u* M[2]. **51** *meditabor* Expl. in Donat. (IV p. 552 K). **52** *spelea* codd. **53** *tenetis* P, *-eris* P[2] | *mob* P, *meos* P[2]. **54** *ille* M, *-ae* M[2] | *-entis* R | *amoris* M, *-res* M[1]. **55** *menala lymphis* M, *mae -siluis* R. **56** *agris* M, *acr-* M[1], *acres* α | *ntetabunt* P, *ue-* P[2]. **57** *parthaenios* M, corr. M[2]. **58** *-antes* M α. **59** *rhodonea* M, *cyd-* M[2], *cydonia* P, *-nea* P[2]. **60** *mquam* P, *tam-* P[2] | *sint* M. **62** *nec* R | *amadryades* M[2] P[2], *ha-* α, *amatd-* M, *amaryadus* P | *drusum* M, *rursus* M[2] | *ne* α | *nabis* M, *nob-* M[2]. **63** *rursusm* M (duplex in exemplo lectio *rursus, -sum*), *-sum* M[2]. **65** *medis* P, *-diis* P[2]. **66** *niuis* P, *-ues* P[2] rell. | *quosae* P, *aq-* P[2]. **67** post hunc v. repetit in ordine totum v. 38 his variatis *quid tu mihi* P, *quid tum si* P[2].

Aethiopum versemus ovis sub sidere Cancri:
omnia vincit Amor, et nos cedamus Amori ».

Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poetam,
dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides; vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
quantum vere novo viridis se subicit alnus.
Surgamus; solet esse gravis cantantibus umbra;
iuniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbrae.
Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

68 *uersumus* P, corr. P^2 | *ouis* P γ^1, *oues* P^2 R α γ | *sidera* α. **69** *uinct* P, *-cit* P^2 *-cet* M, *uicit* R. **70** *haes* M, *-ec* M^1. **71** *et* add. R^2 | *fiscillam* P, corr. P^2 | *hibsco* in *-bisco* corr. R, *ibisco* P. **73** *hora* P, *-as* P^2. **74** *subducit* R. **75** *canten-* in *cantan-* corr. M | *umbras* M, *-a* M^1. **76** *-piri* P.

P. Vergili Maronis bucolicon liber explicit M, *Vergili Maronis bucolica explic. feliciter. incipit georgica* R, *Bucolicon* P, *P. Vergili Maronis bucolica explicit. incipit georgica lib. I.* G.

LOCI IN BUC. PRAECIPUE NOTABILES

I 2 *silvestrem;* 12 *turbatur;* 26 *causa;* 65 *cretae;* 69 *aristas;* 79 *poteras.*
II 12 *at;* 22 *lact;* 32 *primum;* 53 *pruna;* 56 *es;* 69 *a Corydon.*
III 6 *lact;* 8 *hirquis;* 102 *his.*
IV 26 *parentis;* 57 *Orphi;* 62 *quoi.*
V 52 *Daphnim;* 85 *donabimus.*
VI 1 *prima;* 2 *Thalea;* 30 *mirantur;* 33 *omnia;* 34 *omnis;* 40 *ignaros;* 43 *quo;* 74 *loquar.*
VII 23 *possimus.*
VIII 11 *desinam;* 34 *promissa;* 43 *nudis;* 49-50 *improbus; crudelis.*
IX 6 *nec;* 30 *Cyrneas;* 35 *Vario;* 45 *si.*
X 12 *Aonie;* 13 *lauri;* 19 *upilio;* 63 *rursus.*

II 9 *lacertas* feminini generis, at masculini G. IV 13 *picti lacerti;* item infra B. VI 62 *amarae corticis,* at A. VII 742 *raptus cortex;* quod ambigas utrum Vergilius variandi causa fecerit; nam crediderim potius eum paulatim orationem suam in dies meliorem reddidisse interdumque emendavisse, ut in *tabo* pro *tabe* G. III 481, 557 factum est, quod postea correxit A. VI 442 *tabe.*

II 19 *qui sim.* Alibi invenitur *qui sit* (I 18), *quis sit* (VI 73), *qui sit* (G. IV 537), *quis sit* (A. III 608), *qui spiritus* (A. V 648), *qui strepitus* (A. VI 865), *quis scindere* (A. IX 140), ubi incertum est utrum *quis* an *qui* legi debeat; fieri enim potuit ex *quis sit* vel *quis strepitus* per haplographiam *qui sit, qui strepitus;* ex *qui sit* vel *qui strepitus* per dittographiam *quis sit, quis strepitus.*

II 61 *quase* P. Haec prima est ex plurimis duplicibus lectionibus quas codex P ex suo exemplo tum sciens, tum, ut hic, insciens describebat; utriusque autem lectionis modo, ut hic, prior vera est, modo, ut V 25, posterior.

III 9 *risere.* Haec *-ere* perfecti forma saepius apud Verg. quam *-erunt* forma invenitur; in B. *-ere* XII^{es}, *-erunt* IX^{es}; in G. *-ere* LXIX^{es}, *-erunt* XIII^{es}; in A. *-ere* CCXXX^{es}, *-erunt* XXIX^{es}; scil. quo plus scribendo progrediebatur, eo minus is forma *-erunt* prae altera utebatur (cf. F. Muller, Mnemosyne 56, 1928, p. 364).

III 15 *mortuus*] *-uo* pro *-uu* scripsi quotiens istae duae litterae unam syllabam faciebant; cum vero in duas syllabas dispertitae erant, codicum testimonia secutus sum; apud Caesarem in lege municip. a. 45 a. C. (C I L I 206) *suom* et *suum, mortuom* et *mortuus* invenies.

V 25. Recte hic *neque* codd. ante vocalem, ut fert Vergiliana consuetudo, quamquam interdum valde discordant inter se testimonia, ut his locis videre licet: B. VI 2; G. I 426; II 287, 465; III 216, 352, 490; A. II 430, 491, 496, 727; IV 529; V 669, 781; VI 733, 869; IX 129, 180; XI 159, 201, 208, 228, 268, 846; XII 135, 630. Semel stat Servius A. XI 801 *neque auras* contra *nec aurae* M P R. Quater Verg. euphoniam secutus est: A. II 432 *nec tela nec ullas;* 467 *nec saxa nec ullum;* IX 152 *nec equi;* XII 352 *nec equis* (at hic *neque* Tib.). Restant tres loci qui quomodo iudicandi sint ambigitur: A. II 584 *nec habet;* XI 382 *nec inundant;* XII 207 *nec umbras.*

VIII 28 A, versus intercalaris. Versus Damonis et Alphesiboei sic distributi sunt:

4 . 1 . 3 . 1 . 3 . 1 . 2 . 1 . 4 . 1 . 5 . 1 . 3 . 1 . 4 . 1 . 5 . 1 . 3 . 1
4 . 1 . 3 . 1 . 3 . 1 . 2 . 1 . 4 . 1 . 5 . 1 . 3 . 1 . 5 . 1 . 3 . 1 . 4 . 1

Nempe versus quadrageni seni ad utrumque pertinent iique eodem ordine dispositi.

VIII 101 *cineres.* Primus hic omnium scriptorum Latinorum Vergilius *cineres* pluraliter usurpavit; *cinerem* enim ratio metrica nequaquam admittit. Quinquies praeterea hunc pluralem vocales sequuntur: A. II 431 *cineres et;* V 55 *cineres ipsius,* 81 *cineres animaeque,* 787 *cineres atque;* VI 226 *cineres et.* Duobus denique locis pluralem consonantes excipiunt: A. II 587 *cineres satiasse;* X 59 *cineres patriae. Cinerem* autem ante vocalem quater invenimus: G. I 81 *cinerem immundum;* A. IV 34 *cinerem aut;* V 743 *cinerem et;* XI 211 *cinerem et;* semel ante consonantem: A. IV 427 *cinerem manesue.* Post Vergilium *cineres* receperunt Horatius, Propertius, Ovidius, Aetnae auctor, Livius, Seneca minor, Petronius, alii.

X 69 *vincit* P R, *vincet* M. Hic ut saepe alias codex M in temporis praesentis locum futurum tamquam orationi accommodatius substituit; cf. G. II 405 *extendet;* IV 400 *frangentur;* A. II 678 *relinquar;* VII 310 *vincar;* IX 21 *sequar,* 243 *fallet.*

BUCOLICON NOMINA

GEORGICON

LIBRI IV

LIBER PRIMUS

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vitis
conveniat, quae cura boum, qui cultus habendo
sit pecori, apibus quanta experientia parcis,
hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi
lumina, labentem caelo quae ducitis annum;
Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista
poculaque inventis Acheloia miscuit uvis;
et vos, agrestum praesentia numina, Fauni,
ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae;
munera vestra cano; tuque o, cui prima frementem
fudit equom magno tellus percussa tridenti,
Neptune, et cultor nemorum, cui pinguia Ceae
ter centum nivei tondent dumeta iuvenci;
ipse nemus linquens patrium saltusque Lycaei,

Incipit Georgicon lib. I feliciter M, *Georgicon lib. I* P, *Incipit Georgic(a)* R.

I 1-40 M P R. — **1** *laeta* P, *-as* P^2. **2** *uetere* P, *uert-* P^2 | *uiteis* P (*uites* et *uitis* in exemplo), *-es* M P^2 R. **4** post *pecori* add. *atque* R^2. **5** *hic* P, *hinc* P^1 | *o* add. P^2 | « *lumina : numina* fuit, sed emendavit ipse, quia postea (v. 10) ait *et vos -numina Fauni* » Serv. L. **7** *sit munere* M, *si numine* M^1, « *si munere* siquidem, nam *si* confirmantis est » Serv. | *uestroque in munere* Prob. **8** *chaonem* P, *-neam* P^2 | *utauit* P, *mu-* P^2 | *aristam* M, *-ta* M^1. **9** *pecula* P, *poc-* P^2 | *ouis* M, *uuis* M^2. **10** *ut* P, *et* P^2. **12** *o* add. R^2 | *cul* P. **13** *fundit* P | *equom* P, *-uum* P^2, *equm* R, *ecum* M | « antiquissimi libri *fudit aquam* plerique habent, quoniam Neptunus... aquis omnibus praeest...; sed melius *equum* propter armenta; in Corn(eliani) *equm*, in authentico *aquam* (*equom?*), ipsius manu *equm* (*ecum?*) » Serv. L. **15** *niueo* P, *-ei* P^2 | *dummeta* P, *dume-* P^2. **16** *patriumque* M, *que* del M^1.

Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,
adsis, o Tegeaee, favens, oleaeque Minerva
inventrix uncique puer monstrator aratri
et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum;
dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri
quique novas alitis non ullo semine fruges
quique satis largum caelo demittitis imbrem;
tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
concilia incertum est, urbisne invisere, Caesar,
terrarumque velis curam et te maxumus orbis
auctorem frugum tempestatumque potentem
accipiat cingens materna tempora myrto,
an deus immensi venias maris ac tua nautae
numina sola colant, tibi serviat ultima Thyle
teque sibi generum Tethys emat omnibus undis,
anne novom tardis sidus te mensibus addas,
qua locus Erigonen inter chelasque sequentis
panditur (ipse tibi iam bracchia contrahit ardens
Scorpios et caeli iusta plus parte reliquit) —
quidquid eris (nam te nec sperant Tartara regem,

17 *panonium* M, corr. M^2 | *cus* R, *-stos* R^1. **18** *geae* P, *teg-* P^2 R | « *Tegeaee* vocativus est a derivatione Tegei, oppidi Arcadiae, et *Tegeum* tribrachys est, *Tegeaee* paeon tertius » Serv. **19** *most-* M, *monst-* M^1. **20** *tenera* Serv. L. **21** *diique* P, *quique* M, *dique* M^1 P^2. **22** *quinq-* M, *quiq-* M^2 | *alites* R | « *nonnullo semine* i. e. aliquo » Serv., « vel *non ullo semine* ab hominibus scil. iacto » Serv. L | *de sem-* R. **24** *quam* P, *quem* P^2. **25** *urbis*] etiam Serv., *-bes* M | « nam in primo Georgicon, quem ego librum manu ipsius (Vergili) correctum legi, *urbis* per i litteram scripsit » Probus (ap. Gell. XIII 21,4) | *-scere* R. **26** *maximus* P R. **29** *inme-* P R | *aris* P, *ma-* P^2. **30** *colint* in *-lant* corr. M | *thylae* M. **32** *nouom*] *-uum* M P R | *tardes* P. **33** *ergonen* P, *erig-* P^2 | *caelas -tes* R. **34** *panditur* disting. P^2, *tibi* dist. M^2 | « *panditur ipse tibi* ordo est *qua locus ipse tibi panditur* » Serv., « *ipse tibi* hic distinguitur » Serv. L | *bacchia* P, *bra-* P^2. **35** *scorpios*] etiam Serv. L, *-ius* P, Serv. | *scorpio sed* Prob. (ex *scorpios et*) | *-inquit* P, Prob. (*contrahit, reliquit*, cf. III 519 *it, reliquit*). **36** *eris* add. P^2 | *sperant* M P, *-rent* M^2 P^2, Serv., Serv. L.

nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
quamvis Elysios miretur Graecia campos
nec repetita sequi curet Proserpina matrem),
da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis
ignarosque viae mecum miseratus agrestis
ingredere et votis iam nunc adsuesce vocari.
  Vere novo, gelidus canis cum montibus umor
liquitur et zephyro putris se glaeba resolvit,
depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
ingemere et sulco attritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari
agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit;
illius immensae ruperunt horrea messes.
Ac prius, ignotum ferro quam scindimus aequor,
ventos et varium caeli praediscere morem
cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum
et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvae,
arborei fetus alibi atque iniussa virescunt
gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolos odores,
India mittit ebur, molles sua tura Sabaei,

37 *-gnadi uiniat* M, corr. M^{1}. **40** *adque* P | *adnue* P, *ann-* P^{1}.

I **41-280** A M P R. — **41** *misra-* P, *misera-* P^{1} | *-stis* M, *-stes* M^{2}. **42** *et* P^{2}, *t* P. **43** *umor* M, *hu-* M^{7}. **44** *gleba* R. **46** *adtri-* A R | *uomer* M, *-mis* M^{2}, « *vomer* ... dicimus et hic vomer et hic vomis » Serv. **47** *uoti* R, *-is* R^{1} | *-deret* A. **49** *inmen-* P | *meises* in *messes* corr. P. **50** « si autem non *inmensum*, sed *ignotum* legimus, nobis ignotum significat » Serv. L | *schin-* R. **51** *turium* P, *uar-* P^{2} | *-scer* M, *-scere* M^{2}. **52** *sic* P, *sit* P^{3}. **54** *hinc* A P, *hic* P^{2} | *illinc* P, *-ic* P^{2}. **55** *arbore* R, *-ei* R^{1} | *adque* R. **56** *cruceos* R | *tmolos*] *molos* P, *tmolus* M^{7}, Serv., Prob., *imolus* R, *molus* A M (*mol-* post *ut* ex haplographia ortum). **57** *indea* in *-dia* corr. P | *mittit*] etiam Prob., Seneca (Epist. 87, 20), Serv., Serv. L, *mittet* P, *-tit* MP^{2}, *-tat* M^{1}, rursus *-tit* M^{2} | « *tura* ... sane tus modo sine aspiratione dicimus, nam antiqui thus dicebant ἀπὸ τοῦ θείου » Serv.

at Chalybes nudi ferrum virosaque Pontus
castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges aeternaque foedera certis
imposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem,
unde homines nati, durum genus. Ergo age, terrae
pingue solum primis extemplo a mensibus anni
fortes invortant tauri, glaebasque iacentis
pulverulenta coquat maturis solibus aestas;
at si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
illic, officiant laetis ne frugibus herbae,
hic, sterilem exiguus ne deserat umor harenam.
  Alternis idem tonsas cessare novalis
et segnem patiere situ durescere campum;
aut ibi flava seres mutato sidere farra,
unde prius laetum siliqua quassante legumen
aut tenuis fetus viciae tristisque lupini

58 *ad* P R, *at* P^2 | *uirosaque pontus* ex *uirosequarum* corr. A (scil. propter verborum *uiros* et *epiros* similitudinem cum a superiore versu ad inferiorem librarius aberravisset, v. 59 praetermisso, perrexit v. 60 et 61 scribere; tum demum errore perspecto super versus 60 et 61, litteris prioribus in novas inculcando mutatis, versus 59 et 60 induxit). **59** « sane *Epiros* graece profertur, unde etiam E habet accentum, nam si latinum esset *Epirus*, pi haberet, quia longa est » Serv. (Ἤπειρος). **60** *alternas* in *-naque* corr. P. **61** *inpos-* A. **62** *diuc-* P, *deuc-* P^2 | *-tabit* P. **63** *durum* in ras. P. **64** *a* om. A. **65** *inuort-* M, *inuert-* A M^2 P R | *auri* P, *ta-* P^2 | *-entes* M R. **66** *pulueaulentr* (?) P, corr. P^2 | *frugibus* R (ex v. 69) | « ipsius manu adiectum *maturis solibus* » Serv. L. **67** *ad* R. **68** *auctur-* R | *iat* R, *sat* R^2. **69** *laetis* P, *-i* P^2 | *herbae* P, *-a* P^2. **70** *diserat* P, *des-* P^2 | « *harenam* aspirant *harenam* quia haereat » Prob. **69-70** « ipsius manu adiecti sunt, deletis duobus, quorum alter totus legi potuit *ipsis officiant segetes ne frugibus illic*; ex altero hoc tantum *ne deserat umor harenam* » Serv. L (an hos versus, primum adumbratos, deinde Vergilius complevit?). **71** *aeter-* R | *tonsis* M, *-sas* M^1 | *noualis* P, *-les* M P^2 R. **72** *silu* P, *situ* P^1. **73** *semine* R. **74** *undi* P, *-de* P^1. **75** *tetus* in *fe-* corr. M | *uiclae* A | *lupinis* R.

sustuleris fragilis calamos silvamque sonantem.
Urit enim lini campum seges, urit avenae,
urunt Lethaeo perfusa papavera somno;
sed tamen alternis facilis labor, arida tantum
ne saturare fimo pingui pudeat sola neve
effetos cinerem immundum iactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva,
nec nulla interea est inaratae gratia terrae.
Saepe etiam sterilis incendere profuit agros
atque levem stipulam crepitantibus urere flammis:
sive inde occultas viris et pabula terrae
pinguia concipiunt, sive illis omne per ignem
excoquitur vitium atque exsudat inutilis umor,
seu pluris calor ille vias et caeca relaxat
spiramenta, novas veniat qua sucus in herbas,
seu durat magis et venas adstringit hiantis,
ne tenues pluviae rapidive potentia solis
acrior aut boreae penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, rastris glaebas qui frangit inertis
vimineasque trahit cratis, iuvat arva, neque illum
flava Ceres alto nequiquam spectat Olympo,
et qui, proscisso quae suscitat aequore terga,
rursus in obliquom verso perrumpit aratro
exercetque frequens tellurem atque imperat arvis.
  Umida solstitia atque hiemes orate serenas,

76 *-giles* P | *silum* P, *-uam* P^2. **78** *erunt* A | *letheo* M R. **81** *effectos* R. **82** *-escent* R. **84** *-riles* M P R. **86** *uiris* M, *euires* P, *uires* A M^1 P^2 R. **87** *pingula* in *-uia* corr. M | *siuellis* M P, *siueil-* M^2 P^2. **88** *ullium* P, *uitium* P^2 | *adque* R | *exudat* A M | *amor* M, *um-* M^1. **89** *plures* P. **91** *abstr-* A | *hiantis* P, *-tes* P^2. **92** *tenuis* P R | *pluiiae* in *pluui-* corr. P. **94** *glebas* M R | *inertis* M, *-tes* M^2 R. **95** *cratis* M, *-tes* A M^2 P, *grates* R. **96** *alto* add. M^2. **97** *procisso* P, *prosc-* P^1, *proschi-* R | *que* M, *quae* M^2. **98** *obliquom* M, *-quum* M^2, *-qum* R, *-icum* A P. **99** *exercit* R | *mperat* P. **100** *adque* R.

agricolae; hiberno laetissima pulvere farra,
laetus ager. Nullo tantum se Mysia cultu
iactat et ipsa suas mirantur Gargara messes.
Quid dicam, iacto qui semine comminus arva
insequitur cumulosque ruit male pinguis harenae,
deinde satis fluvium inducit rivosque sequentis
et, cum exustus ager morientibus aestuat herbis,
ecce supercilio clivosi tramitis undam
elicit? illa cadens raucum per levia murmur
saxa ciet scatebrisque arentia temperat arva.
Quid qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
luxuriem segetum tenera depascit in herba,
cum primum sulcos aequant sata, quique paludis
collectum umorem bibula deducit harena?
praesertim incertis si mensibus amnis abundans
exit et obducto late tenet omnia limo,
unde cavae tepido sudant umore lacunae.
    Nec tamen, haec cum sint hominumque boumque labores
versando terram experti, nihil improbus anser
Strymoniaeque grues et amaris intiba fibris

101 *laetes-* in *laetis-* corr. P | *puluera* (*l* add. dum scribit) *ferra* P, corr. P^2. **102** *laetur* P, *-us* P | *nullo cultu* i. e. etiam sine cultu, quia ibi umida sunt solstitia et hiemes serenae; neque enim video quomodo aliter haec nerba, quae iniuria quidam a Verg. abiudicant, cum praecedentibus cohaereant | *mysia* P, *moesia* A P^3, Serv. L, « *Mysia* provincia est, Moesia vero civitas Phrygiae, haud longe a Troia, quam magis debemus accipere propter Gargara, montes Phrygios » Serv. **103** *mirantur* P, *-atur* P^1. **104** *dictam* P. **105** *cumulos* M P, *-lus* P^2, *-lo* A, *tumulos* M^2 | *pisguis* R. **106** *sequentes* (?) in *-tis* corr. P, *fluentes* R. **107** *existus* in *exus-* corr. P. **109** *eligit* R | *raucumque* M, *que* del. M^2. **110** *catebris* M P, *sc-* M^1 P^2 | *quae* P, *que* P^2. **111** *ulmus* A. **112** « sane *luxuriem* iuxta antiquos multi dictum putant, cum *luxuria* dicatur » Serv. L. **113** *primulm* P, *-um* P^2 | *paludi* P, *-des* P^2. **114** *coniectum* P, *colle-* P^2 | « *deducit* siccat, detrahit » Serv., *did-* A. **115** *manis* in *amnis* corr. P. **117** *taepido* M, *te-* M^2 | *emore* P, *um-* P^2. **118** *tament* P, *-en* P^2. **119** *inp-* P. **120** *maris* R, *ama-* R^3.

officiunt aut umbra nocet. Pater ipse colendi
haut facilem esse viam voluit primusque per artem
movit agros curis acuens mortalia corda
nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Iovem nulli subigebant arva coloni;
ne signare quidem aut partiri limite campum
fas erat; in medium quaerebant, ipsaque tellus
omnia liberius nullo poscente ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris
praedarique lupos iussit pontumque moveri
mellaque decussit foliis ignemque removit
et passim rivis currentia vina repressit,
ut varias usus meditando extunderet artis
paulatim et sulcis frumenti quaereret herbam,
ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;
navita tum stellis numeros et nomina fecit
Pleiadas, Hyadas claramque Lycaonis Arcton;
tum laqueis captare feras et fallere visco
inventum et magnos canibus circumdare saltus;
atque alius latum funda iam verberat amnem
alta petens, pelagoque alius trahit umida lina;
tum ferri rigor atque argutae lammina serrae
(nam primi cuneis scindebant fissile lignum),

122 *haud* A | *per artem*] *parentem* R. 123 *curis* add. M^2. 125 *nullis* M, *-i* M^1. 127 *in* ex *im* corr. P | *quaeredant* in *-ebant* corr. M. 132 *repraessit* R. 133 *meditanto* P, *-ndo* P^2 | *extund-* P, *extrud-* P^2 | *artis* M, *-tes* A M^2 P R. 134 *paull-* P. 135 *et* A. 136 *fluui* P, *-uii* P^2. 137 *nauitan* M, *-ta* M^2 | *tunc* A. 138 *pleiadas* M, *pleya-* M^2, *pleidas* P, *pifiadas* A | *arctum* M, *-ton* M^2, *arciō* A. 139 *tunc* M, *tum* M^1. 139-40 *laqueo, latos canibus* Seneca (de uita b. 14,3 ex memoria, ut saepe; sed recte eadem verba attulit Epist. 90, 11). 142 « nonnulli *alta petens* ad maris piscationem adplicant » Serv. L. 144 *schin-* R.

tum variae venere artes. Labor omnia vicit
improbus et duris urgens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortalis vertere terram
instituit, cum iam glandes atque arbuta sacrae
deficerent silvae et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
esset robigo segnisque horreret in arvis
carduus; intereunt segetes, subit aspera silva,
lappaeque tribolique, interque nitentia culta
infelix lolium et steriles dominantur avenae.
Quod nisi et adsiduis herbam insectabere rastris
et sonitu terrebis aves et ruris opaci
falce premes umbram votisque vocaveris imbrem,
heu magnum alterius frustra spectabis acervom
concussaque famem in silvis solabere quercu.
Dicendum et quae sint duris agrestibus arma,
quis sine nec potuere seri nec surgere messis:
vomis et inflexi primum grave robur aratri
tardaque Eleusinae matris volventia plaustra
tribulaque traheaeque et iniquo pondere rastri,
virgea praeterea Celei vilisque supellex,
arbuteae crates et mystica vallus Iacchi;

145 *altes* P, *art-* P^2. **146** *inpr-* P | *surgens* A M P, *ur-* P^2 | *aeges-* A. **148** *arbusta* R. **149** *negarent* R. **151** *horret* R, corr. R^1. **153** post *lappaeque* add. *et* M^7 | *interque*] *que* add. P^1. **155** *assiduis* P | *herbam*] *terram* A P R (ex v. 119 translatum) | *insectare* M, *-abere* M^7. **157** *praemes* R | *umbram*] etiam Serv., *-as* A P, Ansil. (RU 189). **158** *heu frustra magnum alt-* Seneca (de ben. VII 5, 2) | *spectauis* M, *-abis* M^1 | *aceruom* P, *-uum* M P^2, *-rbum* R. **159** *solauere* A R | *quaercu* R. **161** *sinenec*] *sinec* A (ex haplographia) | *messis* (nomin. plur.)] *messes* M R. **163** *eleusine* A | « *plaustra :* imperiti ea *plostra* appellant » Prob. **164** *tribulae* A | post *tribulaque* add. *et* M^7 | *trahae* A M^2, *trahe* M, « *traheae* epenthesin fecit causa metri...; traha autem vehiculum est a trahendo dictum » Serv., Serv. L. **165** *caelei* A M | *supplex* A. **166** *mustica* M R, in *mys-* corr. M | *uannus* A M P, « *uannus* legitur et *vallus* » Serv., « *vannus*... legitur et *vallus* » Ansil. (VA 149).

omnia quae multo ante memor provissa repones,
si te digna manet divini gloria ruris.
Continuo in silvis magna vi flexa domatur
in burim et curvi formam accipit ulmus aratri;
huic a stirpe pedes temo protentus in octo,
binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Caeditur et tilia ante iugo levis altaque fagus
stivaque, quae currus a tergo torqueat imos,
et suspensa focis explorat robora fumus.
Possum multa tibi veterum praecepta referre,
ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti aequanda cylindro
et vertenda manu et creta solidanda tenaci,
ne subeant herbae neu pulvere victa fatiscat,
tum variae inludant pestes: saepe exiguus mus
sub terris posuitque domos atque horrea fecit,
aut oculis capti fodere cubilia talpae,
inventusque cavis bufo et quae plurima terrae
monstra ferunt, populatque ingentem farris acervom
curculio atque inopi metuens formica senectae.
Contemplator item, cum se nux plurima silvis
induet in florem et ramos curvabit olentis:
si superant fetus, pariter frumenta sequentur

167 *prouissa* P, *-isa* A M R | *reponis* P, *-nes* P^2. **168** *manent* A. **170** *im* M P | *accepit* A. **171** *a* M, *ab* M^2 | *stir* in *-rpe* corr. A | *en* P. **172** *attantur* P, *apt-* P^2. **174** *stiuaquequae*] *stiuaquaeque* A, *stiuaqueque* P, corr. P^2 | *que* hic vim explicandi habet, ut A. II 722 *ueste fulvique pelle leonis*, III 148 *effigies divom Phrygiique penates*, VII 94 *tergo stratisque velleribus* | *turgus* P, *currus* P^2. **175** *explorat* M, *-ret* A M^2. **178** *colindri* in *-dro* corr. A | post *cyl-* add. *est* P^2. **180** *faticat* P, corr. P^2. **181** *inludant* M P, *-dunt* M^2 P^2, Serv., *ludunt* A. **182** *adque* R. **183** *apti* M, *ca-* M^2 | *efod-* A. **185** *aceruō* P, *-uum* A M^2 R, *-un* M. **186** *inope* A P | *metuenus* A | *senecte* M, *-tae* M^2. **187** *nox* P, *nux* P^2 | *nux se* A. **188** *curuauit* M | *olentis* M P, *-tes* M^2 P^2. **189** *fumenta* P, *fru-* P^2 | *sequn-* in *sequen-* corr. A.

magnaque cum magno veniet tritura calore;
at si luxuria foliorum exuberat umbra,
nequiquam pinguis palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare serentis
et nitro prius et nigra perfundere amurca,
grandior ut fetus siliquis fallacibus esset
et quamvis igni exiguo properata maderent.
Vidi lecta diu et multo spectata labore
degenerare tamen, ni vis humana quotannis
maxima quaeque manu legeret; sic omnia fatis
in peius ruere ac retro sublapsa referri,
non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
remigiis subigit, si bracchia forte remisit,
atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.
Praeterea tam sunt Arcturi sidera nobis
haedorumque dies servandi et lucidus anguis,
quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis
Pontus et ostriferi fauces temptantur Abydi.
Libra dies somnique pares ubi fecerit horas

191 *ad* R | *luxuriae fil-* R. **192** *-icquam* M | *pinguis* P, *-ues* P^2 | *palea*] « quidam legunt *pingues paleae,* sed verior lectio est *pingues palea* » Serv. V, « *palea* ablativus est, quasi ex palea » Serv. R | *terpt* P, *-ret* P^2, *-rit* R. **193** *mulos* P, *-ltos* P^2 | *serentis* M P, *-tes* A M^2 P^2 R. **194** *amurga* M, *murga* A | « *amurca* per c scribitur et per g pronuntiatur » Serv. **196** *ignis* M, *-ni* M^2, *signi* R | *madhe-* R. **197** *multos* R, *-o* R^1. **198** *niueis* A M, *-uis* M^1 | *quodan-* R. **199** *manus* M, *-u* M^2. **200** *ac*] *et* P | *-labsa* A M P. **201** *lembunt* A. **202** *subegit* P | *bracchia* M, *-achia* M^2. **203** « *atque* praeterea pro alio quoque adverbio dicitur, i. e. statim » Gell. (X 29, 4), « *atque* statim » Serv. R, « *atque* quidam superfluam coniunctionem volunt » Serv. L (de copulativis coniunctionibus a Vergilio per abundantiam usurpatis, quarum hic speciosissimum exemplum habes, fusius egi *Rivista di filologia* 46, 1918, 211-14) | *in praeceps prono*] etiam Gell. (ib.), Serv. L, *prae- prono* P, *prono inceps* R, *prono in preceps* R^4 | *trahit* R. **204** *sidere* in *-ra* corr. M. **206** *uectus* P, *-tos,* dein *-tis* P^2. **208** *dies*] « quocirca factum hercle est ut facile his credam, qui scripserunt idiographum librum Vergilii se inspexisse, in quo ita scriptum est: *libra dies somnique -horas,* i. e. libra diei somnique » Gell. (IX 14, 7),

et medium luci atque umbris iam dividit orbem,
exercete, viri, tauros, serite hordea campis
usque sub extremum brumae intractabilis imbrem;
nec non et lini segetem et Cereale papaver
tempus humo tegere et iamdudum incumbere aratris,
dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres
accipiunt sulci, et milio venit annua cura,
candidus auratis aperit cum cornibus annum
taurus et averso cedens canis occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque farra
exercebis humum solisque instabis aristis,
ante tibi eoae Atlantides abscondantur
Cnosiaque ardentis decedat stella coronae,
debita quam sulcis committas semina quamque
invitae properes anni spem credere terrae.
Multi ante occasum Maiae coepere; sed illos
exspectata seges vanis elusit avenis.
Si vero viciamque seres vilemque phaselum
nec Pelusiacae curam aspernabere lentis,
haut obscura cadens mittit tibi signa Bootes:
incipe et ad medias sementem extende pruinas.

die A M P, *dii* M^7, *diei* R | « *libra die* non est apocope pro *diei*, sed regularis genetivus est » Serv. (*dies* genetivus antiquus est, *die* ex haplographia ortum). **209** *diuidet* R | *urbem* M, *or-* M^1. **211** *utque* P. **213** *iand-* M | *aratris* M P, *rastris* A M^2 P^4 R | « *incumbere aratris* insistere arationi » Serv. R. **215** *putris* A. **218** *auerso*] etiam Prob., *adverso* M, « *averso astro :* duplex lectio est, nam alii *adverso* legunt » Serv. (*averso cedens astro* i. e. fugiens et se avertens, cf. IV 234 *fugiens*) | *cedent* P, *-ns* P^2, *cadens* M, *ced-* M^2. **219** *ad* R | *triticiam* M, *-cem* P, *-ceam* P^2 | *im* P, *in* P^2. **220** *exercibis* P, corr. P^2. **221** *aeo* M, *-oae* M^2 | *-duntur* P, *-dantur* P^2. **222** *cnosia*] etiam Prob., *gno-* M R. **224** *caedere* M. **225** *maie* M, *-iae* M^2. **226** *expec-* P | *auenes* P, *-nis* P^2, Prob., *aristis* A M R. **228** *pelusiace* A, *-saiacae* P, corr. P^2. **229** *haud* A | *mittet* P R, Prob., « *mittet* ostendet » Serv. R. **230** *incipi* R | *expendere* R.

Idcirco certis dimensum partibus orbem
per duodena regit mundi sol aureus astra.
Quinque tenent caelum zonae: quarum una corusco
semper sole rubens et torrida semper ab igni;
quam circum extremae dextra laevaque trahuntur
caeruleae, glacie concretae atque imbribus atris;
has inter mediamque duae mortalibus aegris
munere concessae divom, et via secta per ambas,
oblicus qua se signorum verteret ordo.
Mundus, ut ad Scythiam Riphaeasque arduus arces
consurgit, premitur Libyae devexus in austros.
Hic vertex nobis semper sublimis; at illum
sub pedibus Styx atra videt manesque profundi.
Maxumus hic flexu sinuosso elabitur anguis
circum perque duas in morem fluminis arctos,
arctos Oceani metuentis aequore tingui.
Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox
semper et obtenta densentur nocte tenebrae,
aut redit a nobis Aurora diemque reducit;
nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,
illis sera rubens accendit lumina Vesper.
Hinc tempestates dubio praediscere caelo
possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,
et quando infidum remis impellere marmor

233 *quorum* A | *coruscho* M, *-scae* P, *-sco* M^7 P^2. **235** *leua* M. **236** *glaciae* A M R | *-crete* A. **237** *que* om. A | *diuae* P, *du-* P^2. **238** *diuom* P, *-uum* A M P^2 R. **239** *obliquus* M, *-qus* R. **240** *ab* M, *ad* M^7 | *ripheas* A M P R | « Ripaei, montes Arcadiae, non scribuntur cum adspiratione, quam addimus cum Riphaeos, montes Scythiae, significamus » Serv. (A. IX 82: nugae merae). **241** *consurgit* P, *-get* P^6 | *praemitur* M R, *pre-* M^2 | *liuiae* P, *-uyae* P^3. **242** *-imes* R | *ad* P R. **243** *sup* P. **244** *maximus* A P R | *sinuosso* P, *-uos* R, *-uoso* A M P^2 R^3. **246** *-entes* M P R. **248** *-santur* A M. **249** *reddit* M, *redit* M^1. **251** *illis* Seneca (Epist. 122, 2); *illic* A M P R (ex v. 247 iteratum). **252** *-dicere* A R. **254** *inpel-* A P.

conveniat, quando armatas deducere classis
aut tempestivam silvis evertere pinum:
nec frustra signorum obitus speculamur et ortus
temporibusque parem diversis quattuor annum.
  Frigidus agricolam si quando continet imber,
multa, forent quae mox caelo properanda sereno,
maturare datur: durum procudit arator
vomeris obtunsi dentem, cavat arbore lyntres
aut pecori signum aut numeros impressit acervis.
Exacuunt alii vallos furcasque bicornis
atque Amerina parant lentae retinacula viti.
Nunc facilis Rubea texatur fiscina virga,
nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quaedam exercere diebus
fas et iura sinunt: rivos deducere nulla
religio vetuit, segeti praetendere saepem,
insidias avibus moliri, incendere vepres
balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Saepe oleo tardi costas agitator aselli,

255 *classes* A P R. **256** *tempessiluam* P. **257** *-notum* P, *-norum* P^{1} | *peculamur* P, *sp-* P^{1}. **258** *diuersit* M, *-sis* M^{2}. **259** *tigridus* P, corr. P^{2}. **260** *mox*] *post* M. **262** « *obtusi:* antiqui n addebant, quod nos propter euphoniam in aliquibus detraximus, ut obtusus; in aliquibus enim remansit, ut tunsus » Serv. | *lintres* Serv. codd., *lyntres* Serv. L. **263** *numero* M, *-os* M^{1} | *inpressit* P, *inprae-* R, *impressat* A (foede corruptum). **264** *ali* R | *-ornes* R. **265** *adque* R | *lente* M, *-tae* M^{2}. **266** *facili* P | « *Rubea virga* quae abundat circa Rubos, Italiae oppidum; Horatius (S. I 5, 94) *inde Rubos fessi pervenimus* » Serv., « Rubos nomen oppidi, hinc putant dixisse Virgilium *Rubea -virga* ps. Acro (Hor. ib.); « *rubea* ex arbore rubi facta » Ansil. (RU 7). **267** *torrente* R | *saxis* R. **268** *fistis* P, *fes-* P^{2} | *excercere* P, corr. P^{2}. **269** *diduc-* M | « *deducere* i. e. siccare, nam inrigare inducere est » Serv.; « ergo hic *deducere* purgare est et sordes emittere » Serv. L; « quod autem ait *deducere* nihil aliud est quam detergere; nam festis diebus rivos veteres sordidatos detergere licet, novos fodere non licet » Macrob. (Sat. III 3, 10). **273** *alio* A | *costa* R, *-as* R^{2}.

vilibus aut onerat pomis lapidemque revertens
incussum aut atrae massam picis urbe reportat.
  Ipsa dies alios alio dedit ordine luna
felicis operum. Quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenidesque satae; tum partu Terra nefando
Coeumque Iapetumque creat saevomque Typhoëa
et coniuratos caelum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
scilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum;
ter pater exstructos disiecit fulmine montis.
Septuma post decumam felix et ponere vitem
et prensos domitare boves et licia telae
addere. Nona fugae melior, contraria furtis.
  Multa adeo gelida melius se nocte dedere
aut cum sole novo terras inrorat Eous.
Nocte leves melius stipulae, nocte arida prata
tondentur; noctis lentus non deficit umor.
Et quidam seros hiberni ad luminis ignes

274 *ullis* M, *uilibus* M^{2}. **275** *incussum* (ab incudo, non ab incutio)] etiam Ansil. (IN 348, LA 317); «*incusum* molam manualem cudendo asperatam» Serv. | *ube* M, *urbe* M^{1}. **276** *ipse* P, *-sa* P^{2} | *alio* ex *-os* corr. P^{2}. **277** *-ices* APR | *quinctam* M, *-ntam* M^{2} | *horcus* P | «Probus *orchus* legit, Cornutus vetat aspirationem addendam» Serv.; «tria tantum habebant (Latini) nomina, in quibus c litteram sequeretur aspiratio: sepulchrum orchus pulcher, e quibus pulcher tantum hodie recipit aspirationem» Serv. (G. III 223). **278** *heume-* R. **278-279** *eumenidesque iapetum creat saeuumque thyphoea* M, *eumenidesque partu terra nefando creat saeuumque thyphoea* M^{2}; dein al. m. abras. *coeumque iapetumque* et super *saeuumque* scripsit *coeumque lapytumque*. **279** *lapetum P* | *saeuom* P, *-uum* P^{2} R | *thypoea* R.

I 281-322 MPR. — **281** *inpon-* P | *pello* P, *-llio* P^{2} | «*Pelio Ossam* o longa est, sed fit brevis sequente o vocali» Serv. **282** *adque* R | *inuertere* P, corr. P^{2}. **283** *extru-* PR | *deiecit* R | «*disiecit* deiecit» Serv. R | *montes* R. **284** *septuma* M, *-tima* M^{2} R, *saepti-* P | *decumam* M, *-cimam* M^{2} PR | *pontere* M, *pone-* M^{1} | *uites* R. **285** *licea* P. **288** *uel* R | *eoos* P, *eous* P^{2}. **290** *tonden-*] *ton* ex corr. MP | «*noctis* accusativus pluralis» Serv. R | *nocte* M, *-es* M^{1} PR, *-tis* P^{2} | *dificit* P, *def-* P^{2} | *umor* M, *hu-* M^{1}. **291** *ictus* (?) M, *ignes* M^{1}.

pervigilat ferroque faces inspicat acuto;
interea longum cantu solata laborem
arguto coniunx percurrit pectine telas
aut dulcis musti Volcano decoquit umorem
et foliis undam trepidi despumat aheni.
At rubicunda Ceres medio succiditur aestu,
et medio tostas aestu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus; hiemps ignava colono.
Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur
mutuaque inter se laeti convivia curant;
invitat genialis hiemps curasque resolvit,
ceu pressae cum iam portum tetigere carinae,
puppibus et laeti nautae imposuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus
et lauri bacas oleamque cruentaque myrta,
tum gruibus pedicas et retia ponere cervis
auritosque sequi lepores, tum figere dammas
stuppea torquentem Balearis verbera fundae,
cum nix alta iacet, glaciem quom flumina trudunt.
  Quid tempestates autumni et sidera dicam
atque, ubi iam breviorque dies et mollior aestas,
quae vigilanda viris, vel cum ruit imbriferum ver,
spicea iam campis cum messis inhorruit et cum
frumenta in viridi stipula lactentia turgent?

292 *-lant* P, *-lat* P^2. **294** *coniux* R. **295** *dulcis* M, *-i* M^2 | *uolc-* P, *uulc-* M P^2 R | « syllaba longiores (versus) sunt... *Vulcano decoquit umorem* » Macrob. (Sat. V 14, 4). **296** *trepidi* Ansil. (AE 147), *-dis* M R, *tepidi* P, *tre-* P^2 | « et trepidum dicit, quia quod bullit quasi tremere videtur » Serv. R | *aheni*] « sic in illo quoque Vergili versu in optimis libris scriptum invenimus » Gell. (II 3, 6); *aheni* Serv. R, *aeni* M P, *aenis* R. **300** *feruntur* M, corr. M^1. **303** *praessae* R. **304** *inpos-* P. **305** *set* P | *quendas* P, *-ernas* P^2. **306** *murta* P. **308** *damas* R. **309** *-entes* R | *baliaris* M, corr. M^2. **310** *aita* (?) M, *alta* M^1 | *cum* P R. **311** *auct-* R. **312** *adque* R. **314** *spiceac* P, *-a* P^2 | *messit* M, *-is* M^1 | *et iam* P, *et cum* P^1. **315** *latentia* M, *lact-* M^1, *iacentia* R, *lactantia* Serv.

Saepe ego, cum flavis messorem induceret arvis
agricola et fragili iam stringeret hordea culmo,
omnia ventorum concurrere proelia vidi,
quae gravidam late segetem ab radicibus imis
sublimem expulsam eruerent, ita turbine nigro
ferret hiemps culmumque levem stipulasque volantis.
Saepe etiam immensum caelo venit agmen aquarum,
et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
collectae ex alto nubes; ruit arduus aether
et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
diluit; implentur fossae et cava flumina crescunt
cum sonitu fervetque fretis spirantibus aequor.
Ipse pater media nimborum in nocte corusca
fulmina molitur dextra; quo maxuma motu
terra tremit; fugere ferae, et mortalia corda
per gentis humilis stravit pavor; ille flagranti
aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
deicit; ingeminant austri et densissimus imber;
nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens caeli menses et sidera serva,
frigida Saturni sese quo stella receptet,
quos ignis caelo Cyllenius erret in orbis.
In primis venerare deos atque annua magnae

316 *duceret* M, *ind-* M^1. **318** *consurgere* R. **319** *latae* M, *-te* M^2 | *-cimus* P. **320** *expulsa fruerent* P, corr. P^2. **321** *uolantes* M P^2 R, *nigrantis* P. **322** *inmens-* R.

I **323-514** M R γ. — **327** « *spirantibus* in motu positis » Serv., *spuman-* R. **329** *maxima* R γ. **330** *fere* M, *-rae* M^2. **331** *gentis* M, *-tes* M^2 R | « *humilis pavor* qui humiles facit » Serv., *-ili* R | *-antis* R. **332** *athon*] at ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν Theocr. (VII 77). **333** *deiecit* M R, *deicit* M^1 | *austrisit* M, *-riet* M^1. **334** *plangunt*] etiam Asper (p. 540), *-git* M R, *-gunt* M^2 | « *nunc litora plangit* plangere i. e. resonare facit ; alii legunt *plangunt*, ut sit... resonant » Serv. **337** *caelo*] etiam Prob., *caeli* R, Seneca (Epist. 88, 14) | « ordo est, in quos orbes caeli erret Cyllenius ignis » Serv. R | *cull-* R | *orbes* R.

sacra refer Cereri laetis operatus in herbis
extremae sub casum hiemis, iam vere sereno.
Tum pingues agni et tum mollissima vina,
tum somni dulces densaeque in montibus umbrae.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;
quoi tu lacte favos et miti dilue Baccho,
terque novas circum felix eat hostia fruges,
omnis quam chorus et socii comitentur ovantes
et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante
falcem maturis quisquam supponat aristis,
quam Cereri torta redimitus tempora quercu
det motus incompositos et carmina dicat.
  Atque haec ut certis possemus discere signis
aestusque pluviasque et agentis frigora ventos,
ipse pater statuit, quid menstrua luna moneret,
quo signo caderent austri, quid saepe videntes
agricolae propius stabulis armenta tenerent.
Continuo ventis surgentibus aut freta ponti
incipiunt agitata tumescere et aridus altis
montibus audiri fragor aut resonantia longe
litora misceri et nemorum increbrescere murmur.
Iam sibi tum curvis male temperat unda carinis,
quom medio celeres revolant ex aequore mergi
clamoremque ferunt ad litora, cumque marinae

339 *caer-* R | *orbis* M, *her-* M^{1} M^{2}. **340** *casum* γ, *-u* R γ^{1}. | « *sub casum* pro occasum » Serv. V, « *sub casum hiemis* circa finem hiemis » Serv. R. **341** *tunc* γ | *pinguis* γ | *tunc* γ. **344** *quoi* M, *cui* M^{2} R γ. **345** *frugis* M, *-ges* M^{1}. **349** *quaercu* M. **351** *adque* R | *possemus* M, *-simus* M^{7} γ | *discere* M, *dice-* (cf. v. 252 *praediscere*) R, *noscere* M^{2}. **352** *pluuiasque* M, *et pluuias* M^{7} | *agentes* R. **357** « *aridus fragor* sonitus qualis solet fieri ex aridis cum franguntur arboribus » Serv., (Lucret. VI 119 *aridus sonus*), *arduus* R. **360** *curuis*] etiam Donat. (Ter. Ph. II 1, 41), Serv., Serv. R, *a curuis* R. **361** *quom* M, *cum* M^{2} R γ | *aequora* M, *-re* M^{1}.

in sicco ludunt fulicae notasque paludis
deserit atque altam supra volat ardea nubem.
Saepe etiam stellas vento impendente videbis
praecipites caelo labi noctisque per umbram
flammarum longos a tergo albescere tractus,
saepe levem paleam et frondes volitare caducas
aut summa nantis in aqua conludere plumas.
At boreae de parte trucis cum fulminat et cum
eurique zephyrique tonat domus, omnia plenis
rura natant fossis atque omnis navita ponto
umida vela legit. Numquam imprudentibus imber
obfuit: aut illum surgentem vallibus imis
aëriae fugere grues aut bucula caelum
suspiciens patulis captavit naribus auras
aut arguta lacus circumvolitavit hirundo
et veterem in limo ranae cecinere querellam;
saepius et tectis penetralibus extulit ova
angustum formica terens iter, et bibit ingens
arcus, et e pastu decedens agmine magno
corvorum increpuit densis exercitus alis;
iam variae pelagi volucres et quae Asia circum
dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,

363 *-udes* R γ. **364** *adque* R. **369** *collud-* M. **370** *arboreae* M, *atb-* M^{1}. **371** *euryque* M, *-rique* M^{2}, *-rique et* M^{7}. **373** *umida* M, *hu-* M^{7} | *prudentibus* M, *inp-* M^{2} R γ | « *inprudentibus* alii *in* vacare volunt, alii augendi habere significationem...; melius est ita intellegere... ut *inprudentibus* ignaris accipiamus » Serv. **374** *offuit* R. **376** *-abit* R. **378** *quaer-* M, *quer-* M^{2}. **379** *paen-* M. **381** *pastus* M, *-u* M^{1}. **383** *uariae* γ, *-ias* γ^{1}, Serv. | *et quae* γ, Serv., *atque* M, *adque* R | « *iam varias- et quae Asia circum* haec est vera lectio et sensus talis est: iam varias pelagi volucres et eas quae circum Asia prata rimantur in dulcibus stagnis Caystri videas certatim largos umeris infundere rorem; nam si *iam variae* legeris, sensus nulla ratione procedit » Serv. (structuram non intellexit acer ille grammaticus, quae huiusmodi est: quae pelagi sunt volucres et quae in stagnis rimantur, eas infundere videas).

certatim largos umeris infundere rores,
nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas
et studio in cassum videas gestire lavandi;
tum cornix plena pluviam vocat improba voce
et sola in sicca secum spatiatur harena;
ne nocturna quidem carpentis pensa puellae
nescivere hiemem, testa cum ardente viderent
scintillare oleum et putris concrescere fungos.
  Nec minus ex imbri soles et aperta serena
prospicere et certis poteris cognoscere signis.
Nam neque tum stellis acies obtunsa videtur
nec fratris radiis obnoxia surgere Luna,
tenuia nec lanae per caelum vellera ferri;
non tepidum ad solem pinnas in litore pandunt
dilectae Thetidi alcyones, non ore solutos
immundi meminere sues iactare maniplos.
At nebulae magis ima petunt campoque recumbunt,
solis et occasum servans de culmine summo
nequiquam seros exercet noctua cantus.

386 *in undas* M, *-am* M^4 R^1 γ, *indam* R. **387** *sestire* M, *ge-* M^1. **388** *inpr-* γ. **389** post hunc v. add. *et* (*aut* γ) *caput obiectat querulum uenientibus undis* M^7 ima p., in marg. γ. **390** *carpentis* (nomin. plur.) M, *-tes* M^7 R γ. **391** *nesciruere* M, corr. M^1. **392** *putres* R. **393** *imbres* R. **395** *obtusa* R γ. **397** *tenuuiae* M, corr. M^4. **398** *pinnas* M, *penn-* M^7 | *pinna* apud Vergilium vicies ter invenitur, in qua scriptione codices omnes antiquissimi ubique consentiunt, uno V semel excepto, qui A. XII 474 *pennis* praebet; Lucretii codices contra utramque formam alternant, ita tamen ut *penna* saepius compareat. Utra forma antiquior et potior sit, grammaticis et veteribus et novis disputandum relinquimus; Vergilio quidem, homini cisalpino et rurigenae, magis videtur *pinna* placuisse eademque Quintiliano (I 4, 12), qui « nec (puer) miretur, inquit, cur... a p i n n o, quod est acutum, securis utrimque habens aciem (fiat) b i p e n n i s, ne illorum sequatur errorem qui, quia a pennis duabus hoc esse nomen existimant, p e n n a s avium dici volunt ». Duplex haec forma, ni fallor, a duplici origine procedit | *litora* M. **399** *aicy-* M, *alcy-* M^1 | « *non ore solutos* scil. maniplos; alii *soluto ore* accipiunt, i. e. nimium patenti » Serv. **401** *ad* R. **403** *-icquam* M, *-iquam* M^2.

Apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
et pro purpureo poenas dat Scylla capillo:
quacumque illa levem fugiens secat aethera pinnis,
ecce inimicus atrox magno stridore per auras
insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
illa levem fugiens raptim secat aethera pinnis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces
aut quater ingeminant et saepe cubilibus altis
nescio qua praeter solitum dulcedine laeti
inter se in foliis strepitant; iuvat imbribus actis
progeniem parvam dulcisque revisere nidos;
haud equidem credo, quia sit divinitus illis
ingenium aut rerum fato prudentia maior;
verum, ubi tempestas et caeli mobilis umor
mutavere vias et Iuppiter uvidus austris
denset, erant quae rara modo, et, quae densa, relaxat,
vertuntur species animorum, et pectora motus
nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
concipiunt; hinc ille avium concentus in agris
et laetae pecudes et ovantes gutture corvi.
  Si vero solem ad rapidum lunasque sequentis
ordine respicies, numquam te crastina fallet
hora neque insidiis noctis capiere serenae.
Luna, revertentis quom primum colligit ignis,
si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,

404 *-imes in aethere* R. **409** *ratum* M, *raptim* M². **410** *liquidos* M, *-das* M² | *praesso* R. **412** *praetor* M, *-ter* M² | *leti* M, *lae-* M². **414** *dulce* R, *-es* R¹. **415** *haut* R γ. **417** *umor* M, *hu-* M⁷. **418** *uices* γ, *uias* γ¹ | *umidus* R γ, Serv. **419** *denset* M, *-sat* M⁷. **422** *hic* M, *hinc* M¹ | *conten-* M, *concen-* M¹. **423** *laete* M, *-tae* M²̣. **424** *lunas*] *stellas* Seneca (Epist. 88, 16 ex memoria) | *-uentes* R γ. **426** *nec* M, Seneca (ib.), *neque* M² | *noctes* M, *-tis* M². **427** *-entis* M γ, *-entes* M² R | *quom* M, *cum* M² R γ | *ignes* R. **428** *obscurae* M, *-ro* M¹.

maxumus agricolis pelagoque parabitur imber;
at si virgineum suffuderit ore ruborem,
ventus erit: vento semper rubet aurea Phoebe;
sin ortu quarto (namque is certissimus auctor)
pura neque obtunsis per caelum cornibus ibit,
totus et ille dies et qui nascentur ab illo
exactum ad mensem pluvia ventisque carebunt,
votaque servati solvent in litore nautae
Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.
  Sol quoque et exoriens et, cum se condet in undas,
signa dabit; solem certissima signa sequentur,
et quae mane refert et quae surgentibus astris.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
conditus in nubem medioque refugerit orbe,
suspecti tibi sint imbres; namque urguet ab alto
arboribusque satisque notus pecorique sinister;
aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
diversi rumpent radii aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
heu, male tum mitis defendet pampinus uvas:
tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso cum iam decedit Olympo,
profuerit meminisse magis; nam saepe videmus
ipsius in voltu varios errare colores:

429 *maximus* R γ. **430** *ad* R, *aut* M, *at* M^{2}. **432** *neque* M, *namq-* M^{2}. **433** *optusis* M, *-unsis* M^{2}. **434** *nascetur* R. **436** *ad litora* R. **437** « est enim in hoc longa: *Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae;* nam et pedis primi secunda syllaba longa perseverat et tertii pedis secunda brevis efficitur » Charis. (I p. 14 K) | *-piae* M | *melicerti* M, *-tae* M^{2}, *-te* R. **438** *quoq. exor-* M | *condit* γ | *das* R, *und-* R^{2}. **439** *sequentur* in *sequun-* corr. R, *secun-* γ. **440** *magnae* M, *mane* M^{2} | *austris* M, *ast-* M^{1}. **443** *urguet*] *-get* M R γ | *ab* add. R^{2}. **445** *ube* γ. **446** *rumpentu* M, *-pent* M^{2}, *-punt* R | *surgit* R. **448** *nitis* M, *mi-* M^{2}, *mites* Asper (p. 534). **450** *iam* add. M^{2}. **452** *uoltu* γ, *uul-* M R γ^{1}.

caeruleus pluviam denuntiat, igneus euros;
sin maculae incipiunt rutilo immiscerier igni,
omnia tum pariter vento nimbisque videbis
fervere: non illa quisquam me nocte per altum
ire neque a terra moveat convellere funem.
At si, cum referetque diem condetque relatum,
lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis
et claro silvas cernes aquilone moveri.
Denique, quid vesper serus vehat, unde serenas
ventus agat nubes, quid cogitet umidus auster,
sol tibi signa dabit.
Solem quis dicere falsum
audeat? ille etiam caecos instare tumultus
saepe monet fraudemque et operta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam,
cum caput obscura nitidum ferrugine texit
impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti
obscenaeque canes inportunaeque volucres
signa dabant. Quotiens Cyclopum effervere in agros
vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam
flammarumque globos liquefactaque volvere saxa!
Armorum sonitum toto Germania caelo
audiit; insolitis tremuerunt motibus Alpes.

453 *caerulaeus* M, *-leus* M^2 | *eurus* R. **454** *si* R | *-piunt* M, *-pient* M^2 | *inmiscerer* R, *-rier* M R^2 γ. **456** *note* R. **457** *at* M | *moueat* M, *mone-* M^2 R γ. **458** *ad* R | *concedet* M, *cond-* M^1. **459** *terrae-* M, *terre-* M^2. **461** *vehat* Serv., *ueat* γ, *ferat* M R, *uerat* M^2 | « lepidissimus liber est M. Varronis ex satiris Menippeis, qui inscribitur *nescis quid vesper serus vehat* « Gell. (XIII 11, 1). **469** *tempora* M, *-re* M^1 | *pontis* M, *-i* M^2. **470** *obsceni* R γ | *impor-* M. **471** *effruere* M, *effer-* M^1. **472** *uidemus* M, corr. M^1 | *aethnam* R. **474** *armorumque* R. **475** *audit* R | *insolitis*] *l* ex *n* (?) corr. R | *motibus* M^1 R, *mont-* M R^1.

Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis
ingens, et simulacra modis pallentia miris
visa sub obscurum noctis pecudesque locutae
(infandum!); sistunt amnes terraeque dehiscunt
et maestum inlacrimat templis ebur aeraque sudant.
Proluit insano contorquens vertice silvas
fluviorum rex Eridanus camposque per omnis
cum stabulis armenta tulit. Nec tempore eodem
tristibus aut extis fibrae apparere minaces
aut puteis manare cruor cessavit et altae
per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
Non alias caelo ceciderunt plura sereno
fulgura nec diri totiens arsere cometae.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi;
nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
agricola incurvo terram molitus aratro
exesa inveniet scabra robigine pila
aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis
grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.
  Di patrii, Indigetes et Romule Vestaque mater,
quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo
ne prohibete! Satis iam pridem sanguine nostro

476 *uolgo* γ, *uul-* R γ^{1} | *silentis* M, *-tes* M^{2} γ. **480** *aebur* M, *eb-* M^{2}. **482** *omnis* M, *-nes* M^{2} R γ. **485** *minare* M, *man-* M^{2}. **487** *caelo* add. M^{2} | *caecid-* M | *sereno* γ, *sinistro* γ^{1}. **492** *haemi* Ansil. (HE 96), *hemi* R, *aemi* γ, *ha-* γ^{1}, *emi* M. **495** *exsesa* M | *sabra* M, *sca-* M^{1}. **496** *pulsauit inanes* R. **497** *-ulchris* M γ. **498** *patri* M | *ed* M, *et* M^{1}. **500** *saltim* R.

Laomedonteae luimus periuria Troiae;
iam pridem nobis caeli te regia, Caesar,
invidet atque hominum queritur curare triumphos,
quippe ubi fas versum atque nefas: tot bella per orbem,
tam multae scelerum facies; non ullus aratro
dignus honos; squalent abductis arva colonis
et curvae rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
vicinae ruptis inter se legibus urbes
arma ferunt; saevit toto Mars impius orbe,
ut, cum carceribus sese effudere, quadrigae
addunt in spatia et frustra retinacula tendens
fertur equis auriga neque audit currus habenas.

502 *lumius* R. **503** *caeunobis* R, *caelin-* R^1. **504** *adque* R | *quaer-* M R, *quer-* M^2. **506** *faciet* R. **508** *curua* M, *-ae* M^2. **510** *sese* R. **513** *in spatia* Serv., M^2 γ^1, *spatia* R, *in spatio* γ, Serv. V, *spatio* M (*addunt.* i e. se addunt, crescunt, augescunt; *in spatia* i. e. spatium de spatio, ut diem de die: quo plura spatia conficiunt, eo velociores redduntur). **514** *abenas R.*

P. Vergili Maronis Georgicon lib. I expl. M, *Vergili Maronis Georgica lib. I explic. incip. lib. II* R.

LIBER SECUNDUS

Hactenus arvorum cultus et sidera caeli;
nunc te, Bacche, canam nec non silvestria tecum
virgulta et prolem tarde crescentis olivae.
Huc, pater o Lenaee (tuis hic omnia plena
muneribus, tibi pampineo gravidus autumno
floret ager, spumat plenis vindemia labris),
huc, pater o Lenaee, veni nudataque musto
tingue novo mecum direptis crura coturnis.
  Principio arboribus varia est natura creandis.
Namque aliae nullis hominum cogentibus ipsae
sponte sua veniunt camposque et flumina late
curva tenent, ut molle siler lentaeque genistae,
populus et glauca canentia fronde salicta;
pars autem posito surgunt de semine, ut altae
castaneae nemorumque Iovi quae maxima frondet
aesculus atque habitae Grais oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima silva,
ut cerasis ulmisque; etiam Parnasia laurus
parva sub ingenti matris se subicit umbra.

Incipit lib. II feliciter M.

II 1-91 M γ. — 1 *actenus* M, *ha-* M^1 | *aruar-* M, *aruor-* M^1. 2 *baccae* M, *-cce* γ, *-cche* M^2. 3 *tresc-* M, *cresc-* M^1 | *olibae* M, *-iuae* M^1. 4 *leneaee* M, *-naee* M^2. 7 *leneae* M, *-naee* M^2. 8 *tingue* M, *-ge* M^2 | *rura* M, *cr-* M^1. 16 *quaercus* M. 19 *subigit* M | « apud Vergilium quoque *subicit* verbum produci a plerisque audio : *se subicit umbra* ..., secunda littera in his verbis per duo i, non per unum scribenda est » Gell. (IV 17, 5-6).

Hos natura modos primum dedit, his genus omne
silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.
Sunt alii, quos ipse via sibi repperit usus.
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
deposuit sulcis, hic stirpes obruit arvo
quadrifidasque sudes et acuto robore vallos;
silvarumque aliae pressos propaginis arcus
exspectant et viva sua plantaria terra;
nil radicis egent aliae, summumque putator
haud dubitat terrae referens mandare cacumen.
Quin et caudicibus sectis (mirabile dictu)
truditur e sicco radix oleagina ligno.
Et saepe alterius ramos impune videmus
vertere in alterius mutatamque insita mala
ferre pirum et prunis lapidosa rubescere corna.
Quare agite o proprios generatim discite cultus,
agricolae, fructusque feros mollite colendo,
neu segnes iaceant terrae. Iuvat Ismara Baccho
conserere atque olea magnum vestire Taburnum.
Tuque ades inceptumque una decurre laborem,
o decus, o famae merito pars maxima nostrae,
Maecenas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
ferrea vox; ades et primi lege litoris oram;

21 *uirumuiret* M, *uiret* M^2. 22 *alii quos* γ M^2, *alie quos* M, *alie quas* M^1 | « favor naturae fuit etiam ad alios (modos) inveniendos » Serv. (nempe *alii quos* legebat) | *ipsa* γ | « *via sibi* ratione » Serv. 24 *hinc* M, *hic* M^2 | *stirpe* M, *-es* M^1, *hic stirpis* Ansil. (AR 616). 25 *uides* (?) M, *sud-* M^2, Ansil. (SU 490). 27 *expectat* M, *-ant* M^2 γ. 29 *haut* γ. 32 *inpune* γ. 35 *o* add. M^2. 36 *cultus* (ex v. sup.) M, *fruct-* M^2, Ansil. (FE 401). 38 *oleam* M, *-a* M^1. 42-46 hi v. quinque, quorum sententia cum v. 41 non plane congruit, secundis curis additi sunt.

in manibus terrae; non hic te carmine ficto
atque per ambages et longa exorsa tenebo.
Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,
infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;
quippe solo natura subest. Tamen haec quoque, si quis
inserat aut scrobibus mandet mutata subactis,
exuerint silvestrem animum cultuque frequenti,
in quascumque voles artes, haud tarda sequentur.
Nec non et, sterilis quae stirpibus exit ab imis,
hoc faciat, vacuos si sit digesta per agros;
nunc altae frondes et rami matris opacant
crescentique adimunt fetus uruntque ferentem.
Iam quae seminibus iactis se sustulit arbos
tarda venit seris factura nepotibus umbram,
pomaque degenerant sucos oblita priores,
et turpis avibus praedam fert uva racemos.
Scilicet omnibus est labor impendendus et omnes
cogendae in sulcum ac multa mercede domandae.
Sed truncis oleae melius, propagine vites
respondent, solido Paphiae de robore myrtus;
plantis edurae coryli nascuntur et ingens
fraxinus Herculeaeque arbos umbrosa coronae
Chaoniique patris glandes, etiam ardua palma
nascitur et casus abies visura marinos.
Inseritur vero et fetu nucis arbutus horrida,

45 *ficto*] *longo* Seneca (de ben. VII 1, 1, Vergili verbis ad aliam sententiam licenter detortis). **47** *oras* M, *aras* γ, *aur-* M^2 γ. **51** *exuerit* M, *-int* M^2. **52** *uoces* γ, Serv., *uoles* γ^1 | *haut* γ. **54** *faciat* M, *-iet* M^2 γ, Serv. **57** *iamque* M, *-uae* M^2 γ^1, Serv. V, *namquae* γ. **60** *turpes* γ | *auidus* M, *-ibus* M^1. **61** *inpen-* M. **62** *cogaen-* M, *cogen-* M^1. **63** *set* M. **65** *et durae* M γ, « *et durae*..., alii *edurae* legunt, quasi non durae » Serv. **67** *chaonii*] etiam Serv., Bern. 165, *-ie* M. **69** *et fetu* (*ex foetu* γ) *nucis arbutus horrida* M γ, *et n- a- h- fetu* M^7 | « *fetu nucis arbutus horrida* versus dacty-

et steriles platani malos gessere valentis;
castaneae fagus ornusque incanuit albo
flore piri glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos imponere simplex.
Nam, qua se medio trudunt de cortice gemmae
et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso
fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
includunt udoque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, et alte
finditur in solidum cuneis via, deinde feraces
plantae immittuntur; nec longum tempus, et ingens
exiit ad caelum ramis felicibus arbos
miratastque novas frondes et non sua poma.
  Praeterea genus haud unum nec fortibus ulmis
nec salici lotoque neque Idaeis cyparissis,
nec pingues unam in faciem nascuntur olivae,
orchades et radii et amara pausia baca,
pomaque et Alcinoi silvae, nec surculus idem
Crustumiis Syriisque piris gravibusque volemis.
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos;

licus, nam male quidam *horrens* legunt » Serv., « syllaba longiores (versus) sunt... *arbutus horrida* » Macrob. (Sat. V 14, 4). **70** *sterilis* M | *ualentis* M, *-tes* M^{2} γ. **71** *fagus*] *fagos* M γ | « *castaneae fagos* eget expositione, non enim in castanea fertili infecunda fagus inseritur...; alii... ita accipiunt *castaneae fagos, piri flore ornus incanuit,* ut *fagos* nominativus sit graecus » Serv. (*fagus* nominativus est, quem, ut productio ultimae syllabae tolleretur, in *fagos* aliquis mutavit iunxitque cum verbo *gessere*). **72** *glandes* γ. **75** *tenues* γ. **78** *edes* M, *enod-* M^{1}, *innod-* Serv. V. **81** *exilit* γ. **82** *mirata estque* γ, *-taeque* (?) M, *-tastque* M^{1}, *-turque* M^{7}, Horat. schol. ad Epod. XVI 46 cod. Γ | « sane *miratastque* legendum est, ut stet versus » Serv. (*mirata estque* hyperbaton pro *mirataque est,* cf. A. VI 818 *fascesque; miraturque* foeda et impudentissima coniectura). **83** *haut* γ. **84** *idaes* M, *-aeis* M^{1}. **88** *-mis* M, *-miis* M^{1} | *suris* M, *syriis* M^{2} | *uolae-* M, *uole-* M^{1}. **89** *pendent* M, *-det* M^{1}. **90** *mety-* M, *methy-* M^{1}, *metymneo* γ.

sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae,
pinguibus hae terris habiles, levioribus illae,
et passo psithia utilior tenuisque lageos
temptatura pedes olim vincturaque linguam,
purpureae preciaeque et, quo te carmine dicam,
Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt et Aminneae vites, firmissima vina,
Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus,
Argitisque minor, cui non certaverit ulla
aut tantum fluere aut totidem durare per annos.
Non ego te, dis et mensis accepta secundis,
transierim, Rhodia, et tumidis, bumaste, racemis.
Sed neque, quam multae species, nec, nomina quae sint,
est numerus; neque enim numero comprendere refert;
quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem
discere quam multae zephyro turbentur harenae
aut, ubi navigiis violentior incidit eurus,
nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
  Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices crassisque paludibus alni
nascuntur, steriles saxosis montibus orni;
litora myrtetis laetissima; denique apertos

II 92-117 M V γ. — **92** *hae*] *e* γ. **93** *psit* M, *-itia* M^1 | *lageos* M^1, Serv., schol. Veron., *galageos* (?) M, *lag.. os* V. **94** *temta-* M. **95** *praeciae* M γ | *carmine*] *nomine* Seneca (N. Q. I 11, 2 ex memoria). **96** *rae*(*tica*) V, *rhae-* V^1, *rhoe-* γ | *cileis* (?) M, *cellis* M^1. **97** *amineae* γ, evanuit in V | « sane aminneum dici versus probat, qui stare non potest, si amineum dixerimus » Serv. **98** *molius* M γ^1, *tm-* M^7, *mollius* γ, « *tmolium* nunc tmolum vult intellegi » Prob. (*Tmolius* scil. rex, ἀπὸ κοινοῦ) | *est* M, *et* M^1 | *phaneus* M γ. **101** *dis* M, *diis* M^2 γ. **102** *rhodiae* M, *-ia* M^1. **103** *set* M. **104** *conprehen-* γ | *fert* M, *ref-* M^1. **105** *lybici* M, *lib-* V γ. **106** *discere*] Colum. (III 2, 29), *dicere* M V γ (cf. I 351) | *arenae* M | « *harena*... gratius cum adspiratione sonat; et cum pluralem non habeat, Vergilius tamen ait *quam multae- harenae* » Charis. (I p. 103 K). **108** *ioni* V. **109** *terra* M, *-ae* M^1.

Bacchus amat colles, aquilonem et frigora taxi.
Aspice et extremis domitum cultoribus orbem
eoasque domos Arabum pictosque Gelonos:
divisae arboribus patriae. Sola India nigrum
fert hebenum, solis est turea virga Sabaeis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
balsamaque et bacas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum molli canentia lana,
velleraque ut foliis depectant tenuia Seres,
aut quos Oceano propior gerit India lucos,
extremi sinus orbis, ubi aëra vincere summum
arboris haut ullae iactu potuere sagittae?
et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.
Media fert tristis sucos tardumque saporem
felicis mali, quo non praesentius ullum,
pocula si quando saevae infecere novercae
[miscueruntque herbas et non innoxia verba],
auxilium venit ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro
et, si non alium late iactaret odorem,
laurus erat; folia haut ullis labentia ventis,
flos ad prima tenax; animas et olentia Medi
ora fovent illo et senibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum silvae ditissima terra

113 *-lone* M, *-lonem* M^2. **114** *aspicet* M, *-ce et* M^1. **117** *sabeis* V γ.

II **118-138** M γ. — **121** *depectant*] etiam Ansil. (TE 363), « *depectant* decerpant; sed alii *depectat* legunt; quod si est, Seres posuit pro Ser, sicut trabes pro trabs » Serv. | *tenuuia* M, *-nuia* M^5. **122** *proprior* M γ. **123** *oris* M, *orbis* M^1. **124** *arboribus* M, *-res* M^5, *-ris* M^7 | *aut* M γ. **127** *quod* M, *-o* M^5. **128** *saeue* M, *-uae* M^5. **129** hunc v., huc ex III 283 translatum, habet γ, interpretatur Serv., om. M, add. ima p. M^5. **131** *arbor* γ | *facilem* M, *faciemque* M^2 | *lauros* M, *-o* M^2. **133** *haud* γ. **134** *lentia* M, *ol-* M^2. **136** *terra* M, *regna* M^2.

nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus
laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi
totaque turiferis Panchaia pinguis harenis.
Haec loca non tauri spirantes naribus ignem
invertere satis immanis dentibus hydri,
nec galeis densisque virum seges horruit hastis;
sed gravidae fruges et Bacchi Massicus umor
implevere; tenent oleae armentaque laeta.
Hinc bellator equos campo sese arduus infert,
hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus
victima saepe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
Hic ver adsiduum atque alienis mensibus aestas;
bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidae tigres absunt et saeva leonum
semina, nec miseros fallunt aconita legentis,
nec rapit immensos orbis per humum neque tanto
squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes operumque laborem,
tot congesta manu praeruptis oppida saxis
fluminaque antiquos supterlabentia muros.
An mare quod supra memorem quodque adluit infra?
anne lacus tantos? te, Lari maxime, teque,
fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino?

137 *aura* M, *-ro* M^{2}.

II **139-214** M P. — **139** *iuriferis* P | *-chaeala* (?) M, *-chaia* M^{2}. **140** *haec* M, *nec* M^{7}. **141** *salis* P | *hydris* M, *-i* M^{2}. **142** *densiscyrum* M, *-isqueuirum* M^{2}. **143** *set* M. **144** *inpl-* P | *oleae* M, *-aeque* M^{7}. **145** *bellator equos*] *albiclitumquus* P (propter geminum *hinc* ad seq. v. aberratum est; error iam fuerat in exemplo) | *equos*] *-uus* M P. **146** *albiclitumne*] *bellatoremne* P. **148** *ad* M^{2}, *at* M P. **150** *sis* M, *bis* M^{1}. **151** *ad* P | *rapidae* P | *tigre* M, *-es* M^{2} | *leones* M, *-num* M^{1}. **152** *-entes* M. **153** *immen-* M, *inmen-* M^{2} | *orbes* M | *humo* P. **154** *speram* (?) M, *spir-* M^{1} | *iractu* P | *inguis* P. **157** *subter* M. **158** *alluit* P. **160** *-itus* P.

An memorem portus Lucrinoque addita claustra
atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?
Haec eadem argenti rivos aerisque metalla
ostendit venis atque auro plurima fluxit.
Haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam
adsuetumque malo Ligurem Volscosque verutos,
extulit, haec Decios, Marios magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello et te, maxime Caesar,
qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
magna virum: tibi res antiquae laudis et artis
ingredior sanctos ausus recludere fontis
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.
  Nunc locus arvorum ingeniis, quae robora cuique,
quis color et quae sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terrae collesque maligni,
tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis,
Palladia gaudent silva vivacis olivae;
indiciost tractu surgens oleaster eodem
plurimus et strati bacis silvestribus agri.
At quae pinguis humus dulcique uligine laeta
quique frequens herbis et fertilis ubere campus
(qualem saepe cava montis convalle solemus

164 *thyrrh-* M. **166** *uenit* (?) M, *-is* M^{2}. **168** *ligyrum* M, *-rem* M^{1}, *-gurem* M^{2} | *uerulos* P. **169** *-mellos* M, *-millos* M^{2}. **172** *inbel-* M P | *-aniss* P. **173** *salliem* M, *salue* M^{2}. **174** *artem* P. **175** *fontes* M. **177** *-boraa* P. **178** *qui* P, *-is* P^{1}. **179** *malegni* P. **180** *tennuis* M, *tenu-* M^{1}. **181** *gaudet* M. **182** *indicio* M, *-o est* M^{2} | *ractu* P. **183** *sirati* P. **184** *atque* M, *-uae* M^{2} | *-gini* P. **186** *uidemus* P.

despicere; huc summis liquontur rupibus amnes
felicemque trahunt limum) quique editus austro
et filicem curvis invisam pascit aratris,
hic tibi praevalidas olim multoque fluentis
sufficiet Baccho vitis, hic fertilis uvae,
hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis studium vitulosque tueri
aut ovium fetum aut urentis culta capellas,
saltus et saturi petito longinqua Tarenti
et qualem infelix amisit Mantua campum
pascentem niveos herboso flumine cycnos;
non liquidi gregibus fontes, non gramina derunt,
et quantum longis carpent armenta diebus,
exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere et presso pinguis sub vomere terra
et quoi putre solum (namque hoc imitamur arando)
optima frumentis (non ullo ex aequore cernes
plura domum tardis decedere plaustra iuvencis)
aut unde iratus silvam devexit arator
et nemora evertit multos ignava per annos
antiquasque domos avium cum stirpibus imis

187 *hoc* P, *huc* P^2 | *liquuntur* M, *linq-* M^7 P. **189** *felicem* M. **190** *multos* M, *-o* M^7 | *fluentis* M, *-tes* M^2. **191** *sufficitet* P. **192** *latices* M. **194** *pandis*] etiam Ansil. (LA 266), *patulis* M, *pandis* M^2 | « *lancibus pandis* aut patulis aut extorum pondere curvatis » Serv., « *pandis* cavis » Serv. V. **196** *fetus* M | *autt* P | *urentis* M, *-tes* M^2. **197** *satyri* M, *-turi* M^2 | « *saturi Tarenti* aut fecundi aut quod est iuxta oppidum Saturum » Serv. | *terenti* M, *tar-* M^2. **198** *qualim* P. **200** *derunt* M, *deer-* M^2 (*derunt* in lapide ann. 8-2 a. C., Th. Mommsen, Abhandl. k. Akad. Berl. 1863, p. 462, 58). **202** *gelidis* P | *-ponit* M. **203** *pinguiss* P, *-ui* M | *sub* om. P | *mouere* M, *uomere* M^2. **204** *quoi*] *qui* P, *cui* M | *imitatur* M, *-amur* M^2. **208** *uertit* P.

eruit: illae altum nidis petiere relictis;
at rudis enituit impulso vomere campus.
Nam ieiuna quidem clivosi glarea ruris
vix humilis apibus casias roremque ministrat,
et tofus scaber et nigris exessa chelydris
creta negant alios aeque serpentibus agros
dulcem ferre cibum et curvas praebere latebras.
Quae tenuem exhalat nebulam fumosque volucris
et bibit umorem et, cum volt, ex se ipsa remittit
quaeque suo semper viridi se gramine vestit
nec scabie et salsa laedit robigine ferrum,
illa tibi laetis intexet vitibus ulmos,
illa ferax oleo est, illam experiere colendo
et facilem pecori et patientem vomeris unci:
talem dives arat Capua et vicina Vesaevo
ora iugo et vacuis Clanius non aequos Acerris.
Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit an supra morem si densa requires
(altera frumentis quoniam favet, altera Baccho,
densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo),
ante locum capies oculis alteque iubebis
in solido puteum demitti omnemque repones

210 *eruit- altum*] *truitillefaleum* P | *ille* M, *illae* M^2. 211 *aut* M, *at* M^2 | *inpu-* M P | *sub uomere* P. 212 *ieiuna* ex *pe-* (?) corr. P. 213 *umilis* M. 214 *exesa* M. 214-216] scil. tofus et creta alunt serpentes iisque latebras praebent.

II 215-273 M P R. — 217 *exalat* M, *exhalant* P | *uolucris* M, *-res* M^2, *lucoris* R. 218 *uult* M R | *tpsa* P. 220 *scabie* M^2, *-iae* M R | *et* M, *aut* M^2, Serv. codd. A H | *-igioe* in *-igine* corr. P. 221 *-texit* P | *utibus* in *uit-* corr. R. 222 *oleae* M | *illa* M, *-am* M^2. 224 *erat* M, *ar-* M^2 | *eet* M, *et* M^2 | *uesaeo* P R. 225 *ora*] « et hoc emendavit, quia Nolam posuerat; nam postea offensus a Nolanis, qui eidem aquam negaverant, *ora* pro *Nola* posuit » Serv. V, idem tradit Gell. (VI 20, 1) | *equos* M, *aequus* M^2 P R | *acernis* M, *-rris* M^2. 226 *nonc* P | *quocumque* R | *posses* R. 227 *sil* P | *relquires* M, *requires* M^1, *-ras* M^2 R. 230 *altae* M, *-te* M^2.

rursus humum et pedibus summas aequabis harenas.
Si derunt, rarum pecorique et vitibus almis
aptius uber erit; sin in sua posse negabunt
ire loca et scrobibus superabit terra repletis,
spissus ager; glaebas cunctantis crassaque terga
exspecta et validis terram proscinde iuvencis.
Salsa autem tellus et quae perhibetur amara,
frugibus infelix (ea nec mansuescit arando
nec Baccho genus aut pomis sua nomina servat),
tale dabit specimen: tu spisso vimine quallos
colaque prelorum fumosis deripe tectis;
huc ager ille malus dulcesque a fontibus undae
ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
scilicet et grandes ibunt per vimina guttae;
at sapor indicium faciet manifestus et ora
tristia temptantum sensu torquebit amaror.
Pinguis item quae sit tellus, hoc denique pacto
discimus: haut umquam manibus iactata fatiscit,
sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Umida maiores herbas alit ipsaque iusto
laetior. A nimium ne sit mihi fertilis illa

232 *rusus* P | *arenas* P. 233 *derunt* M R, *deer-* M^{5} R^{5}. 234 *necab-* M, *negab-* M^{2}. 236 *glebas* M R | *cunctantis* M, *-tes* M^{2}. 237 *expecta* M P, *exerce* R | *et* add. M^{2}. 238 *auiem* P. 239 *harando* P. 241 *ulmine* (?) M, *uim-* M^{1} | *quatlos* in *-allos* corr. P, *-alos* M. 242 *colda* (?) in *colla* corr. P | *prel-* M, *prael-* M^{2}. 244 *calcentur aquae* in ras. R | *fluctabitur* M, *el-* M^{2}. 245 *glandes* in *gra-* corr. M. 246 *ad* P R | *facit* R. 247 *amaro* M P R, *-ror* M^{4} | « *amaror* amaritudo et est sermo Lucretii (IV 224); et vera lectio ipsa est, nam multi amaro legunt, ut sit *sensu amaro* » Serv.; « versus istos ex Georgicis Vergilii plerique omnes sic legunt *at sapor -amaro*. Hyginus autem... in commentariis quae in Vergilium fecit confirmat et perseverat non hoc a Vergilio relictum, sed quod ipse invenerit in libro, qui fuerit ex domo atque ex familia Vergilii, *et ora-amaror* » Gell. (I 21), *sensu amaro* Cyprian. Gallus (Exod. 554), *amaror* P A C (III p. 62, 15). 249 *haud* M | *unquam* P. 250 *set* M | *picis* R, *-ces* R^{5} | *degi-* R. 251 *humi-* P | *maioris* P R. 252 *laetitior* M, corr. M^{1}.

nec se praevalidam primis ostendat aristis!
Quae gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
quaeque levis. Promptum est oculis praediscere nigram
et quis quoi color. At sceleratum exquirere frigus
difficilest: piceae tantum taxique nocentes
interdum aut hederae pandunt vestigia nigrae.
His animum adversis terram multo ante memento
excoquere et magnos scrobibus concidere montis,
ante supinatas aquiloni ostendere glaebas,
quam laetum infodias vitis genus. Optima putri
arva solo; id venti curant gelidaeque pruinae
et labefacta movens robustus iugera fossor.
Ac si quos haut ulla viros vigilantia fugit,
ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
arboribus seges et quo mox digesta feratur,
mutatam ignorent subito ne semina matrem.
Quin etiam caeli regionem in cortice signant,
ut, quo quaeque modo steterit, qua parte calores
austrinos tulerit, quae terga obverterit axi,
restituant: adeo in teneris consuescere multumst.
Collibus an plano melius sit ponere vitem,

253 *nec* M, *neu* M^{2}. **254** *prodet* M. **255** *praedicere* R (cf. I 351). **256** *quisquoi*] ego, *quisquis* P M^{7}, *quiscuique* M (ex III 102), *quiscuiciue* R, « *et quisquis color* vera lectio haec est, nam male quidam *et quis cuique* legunt, excludentes *at* » Serv. (*quis quoi* duplex interrogatio est, ut apud Cic. p. Q. Rosc. 21 *considera quis quem fraudasse dicatur*, Quintil. I, 4, 10 *quae cum quibus cognatio*) | *ad* P. **257** *-cile est* M R | *piciae* P | *taxit* P, *axi* M, *ta-* M^{1}. **258** *haut* M | *ederae* M P | *pendunt* (?) M, *pan-* M^{4}. **259** *animamad-* P, *animoad-*, dein *animad-* P^{3}, *animad-* M R. **260** *circumdare* P | *montes* M R. **261** *ustendere glebas* R. **263** *adua* P, *arua* P^{3} | *gaelidae* M. **265** *at* P, *ad* R | *haut* M^{2}, *aut* M P R. **266** *prema* P, *prima* P^{3}. **267** *sedes* P, *seges* P^{3} | *ferantur* P, *-atur* P^{1}. **268** *mutata* P | *subilo* P, *-ito* P^{3}. **270** *quod* M, *-o* M^{2} | *quequae* P | *steterint* M, *-it* M^{2} | *colores* M, *cal-* M^{2}. **271** *tulerint* M, *-it* M^{4} (*steterint, tulerint* correctiones doctae, cf. A. I 130 *quisque*) | *que* P, *quae* P^{3}. **272** *multumst* R, *-mest* M P R^{5}.

quaere prius. Si pinguis agros metabere campi,
densa sere: in denso non segnior ubere Bacchus;
sin tumulis adclive solum collisque supinos,
indulge ordinibus; nec setius omnis in unguem
arboribus positis secto via limite quadret:
ut saepe ingenti bello cum longa cohortis
explicuit legio et campo stetit agmen aperto
derectaeque acies ac late fluctuat omnis
aere renidenti tellus necdum horrida miscent
proelia, sed dubius mediis Mars errat in armis.
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum,
non animum modo uti pascat prospectus inanem,
sed quia non aliter viris dabit omnibus aequas
terra neque in vacuum poterunt extendere rami.
  Forsitan et, scrobibus quae sint fastigia, quaeras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco.
Altior ac penitus terrae defigitur arbos,
aesculus in primis, quae, quantum vertice ad auras
aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra neque imbres
convellunt; immota manet multosque nepotes,
multa virum volvens durando saecula vincit;
tum fortis late ramos et bracchia tendens
huc illuc media ipsa ingentem sustinet umbram.

II 274-299 M P R V. — **274** *quae* P, *-ere* P^{3}, *quare* M, *-aere* M^{2} | *si* add. M^{1} | *agos* P, *agros* P^{3} | *campos* P. **276** *sint* M R V, *sin* M^{2} | *humiles* M, *tumulis* M^{2} | *acliue* M, *adc-* M^{2} | *colles* P R V. **277** *estius* R. **278** *saepto* M, *-ecto* M^{2}. **279** *cohortes* M, *-t. s* V. **280** *belegio* P, *legio* P^{3}. **281** *derectae* evanuit in V. **282** *nedum* V. **283** *errauit* R. **284** *demensa* M, *dim-* M^{2}. **286** *set* M | *alter* M, *alit-* M^{2}, *aetter* P, *altter* P^{3} | *uires* P R V. **287** *nec* P R | *poterint* P, *-runt* P^{3} | *se exten-* M V. **288** *forsitam* R | *fastiquela* P. **290** *alterior* R | *paenitus* M, *pe-* M^{2}. **291** *in au-* V. **292** *radicem* M P (A. IV 446 *radice* F, *-em* M P). **294** *manent* M, *-et* M^{1} | *nepotes*] *per annos* V. **296** *fortes* P | *tendit* V, *-dens* V^{1}.

Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem
neve inter vitis corylum sere neve flagella
summa pete aut summa defringe ex arbore plantas
(tantus amor terrae) neu ferro laede retunso
semina neve olea silvestris insere truncos.
Nam saepe incautis pastoribus excidit ignis,
qui furtim pingui primum sub cortice tectus
robora comprendit frondesque elapsus in altas
ingentem caelo sonitum dedit; inde secutus
per ramos victor perque alta cacumina regnat
et totum involvit flammis nemus et ruit atram
ad caelum picea crassus caligine nubem,
praesertim si tempestas a vertice silvis
incubuit glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi, non a stirpe valent caesaeque reverti
possunt atque ima similes revirescere terra;
infelix superat foliis oleaster amaris.
Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor
tellurem borea rigidam spirante movere.
Rura gelu tum claudit hiemps nec semine iacto
concretum patitur radicem adfigere terrae.

299 *uites* M V | *corulum* R | *neue flagella summa pete*] « Vergilius e cacumine inseri vetat » Plin. (N. H. XVIII 105).

II 300-351 M P R. — **300** *defringe*] « quae (semina) de arbore transferas ut ea deplantes potiusquam d e f r i n g a s » Varr. (R. R. I 40, 4). **301** *retunso* M, *-tuso* M^2 P, *-tuno* R. **302** *oleae* P R, Serv. | *-stres* P | *tcruncos* (?) M, *tru-* M^2. **304** *furiim* P, *fortem* M, *furtim* M^3. **305** *-absus* P R | *altos* M, *-tas* M^1, *-tus* P. **307** *ter, ter* P. **308** *aram* in *atr-* corr. P. **309** *at* M, *ad* M^1 | *lecea* M, *pic-* M^2. **312** « *hoc ubi* subaudis contigerit » Serv., « quidam distinguunt *hoc ubi non* » Serv. V. **313** *adque* R | *ima*] *iam* P | *reuibes-* P | *terras* M, *-a* M^4. **315** *tantarudens* P | *persud-* R, *persuad-* R^5 | *persuaditacantho* P. **316** *reg-* P | *moueri* P R. **317** *tunc* M R | *neo* P | *semini* M, *-ne* M^2. **318** *concretum* M, *-tam* M^2 P R, Serv., Serv. V (*concretum* i. e. concretionem, cf. v. 398 *exhausti* i. q. exhaustionis; scil. propter hiemem radix concretionem terrae non adfigit; *concretum* propter *radicem* in *concretam* mutatum est).

Optima vinetis satio, cum vere rubenti
candida venit avis longis invisa colubris,
prima vel autumni sub frigora, cum rapidus Sol
nondum hiemem contingit equis, iam praeterit aestas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis;
vere tument terrae et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
coniugis in gremium laetae descendit et omnis
magnus alit magno commixtus corpore fetus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris
et Venerem certis repetunt armenta diebus;
parturit almus ager zephyrique tepentibus auris
laxant arva sinus; superat tener omnibus umor;
inque novos soles audent se germina tuto
credere, nec metuit surgentis pampinus austros
aut actum caelo magnis aquilonibus imbrem,
sed trudit gemmas et frondes explicat omnis.
Non alios prima crescentis origine mundi
inluxisse dies aliumve habuisse tenorem
crediderim; ver illud erat, ver magnus agebat
orbis et hibernis parcebant flatibus euri,
cum primae lucem pecudes haussere virumque

320 *colob-* P. **321** *cura* M, *cum* M^2. **323** *frondie* M, *-i* M^2. **324** « Asper simpliciter accipit, ut *terrae* nominativus pluralis sit, Donatus vero *terrae* genetivum vult esse singularem, ut sit sensus, mutata distinctione, *vere tument silvae*, scil. a superioribus, *terrae et -poscunt* » Serv. | *pasc-* M, *posc-* M^1. **325** *tunc* R | *aeter* M, *-ther* M^1. **326** *letae* P | *omnis* M, *-nes* M^2. **328** *tunc* R. **330** *zephyris* M, *-i* M^2 | *trement-* P R | *austris* P, *auris* P^2. **331** *tenor* P. **332** *germina*] « Celsus ait *germina* reliquisse Vergilium; loquitur enim de omnium arborum fetu; unde male quidam *gramina* legunt » Serv. V | *gramina* M R, *-ne* P. **333** *-entis* M, *-entes* M^2. **335** *omnes* M. **336** *alias* P. **338** *agle-* M, *age-* M^2. **339** *-erni* M | *fat-* M, *flat-* M^1. **340** *haussere* P, *hause-* M P^1 | *utrumque* P | *hauserumque* R, *hausereuir-* R^1.

terrea progenies duris caput extulit arvis
immissaeque ferae silvis et sidera caelo.
Nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
si non tanta quies iret frigusque caloremque
inter et exciperet caeli indulgentia terras.
  Quod superest, quaecumque premes virgulta per agros,
sparge fimo pingui et multa memor occule terra
aut lapidem bibulum aut squalentis infode conchas;
inter enim labentur aquae tenuisque subibit
halitus atque animos tollent sata. Iamque reperti,
qui saxo super atque ingentis pondere testae
urguerent; hoc effusos munimen ad imbres,
hoc, ubi hiulca siti findit canis aestifer arva.
  Seminibus positis superest diducere terram
saepius ad capita et duros iactare bidentis
aut presso exercere solum sub vomere et ipsa
flectere luctantis inter vineta iuvencos,
tum levis calamos et rassae hastilia virgae
fraxineasque aptare sudis furcasque valentis,
viribus eniti quarum et contemnere ventos
adsuescant summasque sequi tabulata per ulmos.

341 *terrea* M^2, *fe-* M P R, Serv. (cf. A. III 45 *terrea* M, *fe-* M^1); « quia creditum est primo homines e terra natos » Serv. V | *capud* P. **342** *inmi-* R. **343** *tenere* R, *-rae* R^1. **344** *calorque* P | « *frigusque caloremque...*; fuit autem prior lectio *frigusque calorque...*, aliter hypermetrus versus erit » Serv. V. **345** *-perent* R. **346** *praemes* R. **348** *sibulum* P | *aut* ex *saut* corr. M, *auo* P. **350** *alitus* M | *adque* R. **351** *adque* R | *incertis* P, *ingenti* M, *-is* M^2.

II 352-377 M P R V. — **352** *urguer-* V, etiam Bern. 165, *urger-* M P R. **353** *euicasti* M, *hiulca siti* M^2 | *scindit* P | *aestiper* P. **354** *deducere* M, *diducare* (?) V. **355** *iuros* P | *-ntes* V. **356** *praesso* R | *submoueret* M, *subuomeret* V, *-re et* M^2. **357** *flecteret* M, *-re* M^2 | *luctantis* M V (?), *-tes* M^2 R. **358** *leues* R | *rassa* P, *rasae* M R V. **359** *sudes* M P R | « furcas bicornes vel valentes » schol. Bern., *bicornis* V. **360** *contempn-* R. **361** *tabuluta* M.

Ac dum prima novis adolescit frondibus aetas,
parcendum teneris, et dum se laetus ad auras
palmes agit laxis per purum immissus habenis,
ipsa acies nondum falcis temptanda, sed uncis
carpendae manibus frondes interque legendae.
Inde ubi iam validis amplexae stirpibus ulmos
exierint, tum stringe comas, tum bracchia tonde
(ante reformidant ferrum), tum denique dura
exerce imperia et ramos compesce fluentis.
Texendae saepes etiam et pecus omne tenendum,
praecipue dum frons tenera imprudensque laborum:
cui super indignas hiemes solemque potentem
silvestres uri adsidue capreaeque sequaces
inludunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae,
frigora nec tantum cana concreta pruina
aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,
quantum illi nocuere greges durique venenum
dentis et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
caeditur et veteres ineunt proscaenia ludi,

362 *du* R, *duc* R^5 | *aestas* P. **364** *inmi-* R | *immissum habentis* M, corr. M^2. **365** « *ipsa* vineta vel semina vel *ipsa acies* » schol. Bern. | *acies* M^2 V, *-e* M R V^1 | « si *acies*, sensus hic est : teneris adhuc vitibus nondum est falcis acies necessaria ; si *acies*, subaudimus virgulta » Serv. | *falces* M, *-cis* M^2 | *temptanda* i. e. acies non tangenda, non adhibenda. **367** *stirpibus* M, *uiribus* superscr. M^7. **368** *tunc* M R | *stin-* V, *strin-* V^1 | *tunc* M R | *tondae* M, *-de* M^1. **369** *tunc* R. **370** *fluentis* M, *-tes* M^2 V, *ualentis* R. **371** *sepis* V | *et* add. M^2 | *tuendum* R V (?). **372** *praecipuae* M, *-ue* M^2 | « *frons* pro frondis : Vergilius G. lib. II » Non. (p. 114 et 486) ; « *frons* : fronds est vera lectio... ; hodie vero et a fronde et a fronte unus est nominativus frons » Serv. | *inpr-* P R. **374** *-tris* V | *capraeae* R, *-rae* M, *-reae* M^2. **375** *ques* P. **376-379** hi quattuor v., quibus super. tres (373-375) variantur, secundis curis additi sunt. **377** *scopuis* M, *-ulis* M^1.

II **378-534** M P R. — **378** *uenenam* P | *admorso*] « participium est, ac si diceret abroso » Serv., *amorso* M, *-su* M^2, *admorsu* R, *-um* P. **380** *alis* P.

praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere atque inter pocula laeti
mollibus in pratis unctos saluere per utres.
Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
versibus incomptis ludunt risuque soluto
oraque corticibus sumunt horrenda cavatis
et te, Bacche, vocant per carmina laeta tibique
oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fetu,
complentur vallesque cavae saltusque profundi
et quocumque deus circum caput egit honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
carminibus patriis lancesque et liba feremus
et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram
pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
cui numquam exhausti satis est: namque omne quotannis
terque quaterque solum scindendum glaebaque versis
aeternum frangenda bidentibus, omne levandum
fronde nemus. Redit agricolis labor actus in orbem
atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Ac iam olim, seras posuit cum vinea frondes,
frigidus et silvis aquilo decussit honorem,
iam tum acer curas venientem extendit in annum
rusticus et curvo Saturni dente relictam

382 *que* om. P | *ingentis* M P | « quidam legunt *ingeniis*, ut sit praemia posuerunt ingeniis » Serv. V. **383** *theside* M, *-dae* M^2 | *adque* R. **384** *saluere* M, *-liere* M^2 R, « *saluere* secundum artem locutus est, nam salio salui dicebant » Serv. **385** *missa*] *orsa* Prob. **386** *inconptes* P. **389** *rinu* P. **390** *omnes* P. **394** *latris* P. **396** *pingula* M, *-uia* M^1 | *uerribus* M, *ueri-* M^2 | *coturnis* M P, *colu-* M^1, Ansil. (CO 316). **398** *exhaustis* M | *quodan-* P R. **399** *scinded-* R. **400** *dibent-* P. **402** *adque* R. **403** *seras*] *sua* R | *possint* M, *posuit* M^2. **405** *-ndet* M. **406** *rusticus*] *agricola* R.

persequitur vitem attondens fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
sarmenta et vallos primus sub tecta referto;
postremus metito. Bis vitibus ingruit umbra,
bis segetem densis obducunt sentibus herbae;
durus uterque labor: laudato ingentia rura,
exiguum colito. Nec non etiam aspera rusci
vimina per silvam et ripis fluvialis harundo
caeditur, incultique exercet cura salicti.
Iam vinctae vites, iam falcem arbusta reponunt,
iam canit effectos extremus vinitor antes:
sollicitanda tamen tellus pulvisque movendus
et iam maturis metuendus Iuppiter uvis.
  Contra non ullast oleis cultura: neque illae
procurvam exspectant falcem rastrosque tenacis,
cum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt;
ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco,
sufficit umorem et gravidas, cum vomere, fruges.
Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.
  Poma quoque, ut primum truncos sensere valentis
et viris habuere suas, ad sidera raptim
vi propria nituntur opisque haut indiga nostrae.
Nec minus interea fetu nemus omne gravescit

407 *uilem* P | *frigit* M, *fing-* M^{1}. **408** *fudito* P. **411** *inducunt* P. **413** *coloito* P | *asperetrusci* M, *-rarusti* M^{2} P R | « *rusti : rusci* magis legendum » schol. Bern.; « *rusci* virgultum est, unde vites ligantur » Serv. **414** *rupes* P. **415** *caeditus* P. **416** *uinctae* M^{1}, *uic-* M P. **417** *etfectos* M, *effe-* M^{2}, *effectus* M^{7} | « melius est *effectus* legere quam *effectos* » Serv. | *extremos* Serv. (qui *extremos effectus* iungit). **419** *matures* P | *uis* R, *uuis* R^{2}. **420** *ulla est* M, *nu-* R | *ollets* P. **421** *froc-* P | *expectant* M^{2} P, *-am* M. **424** *umorem* M, *hu-* M^{7}. **425** *nutritur* M P, *-tor* M^{2} : « *nutritor* pro nutri » Serv. | *olium* P, *-uam* P^{2}. **426** *truncus* M, *-cos* M^{2}, *uncos* P, *tru-* P^{4} | *calentes* M, *ua-* M^{2}. **427** *uiris* M, *-res* M^{2} R. **428** *ut* M, *ui* M^{1} | *opes* (om. *que*) R | *haud indica* P.

sanguineisque inculta rubent aviaria bacis,
tondentur cytisi, taedas silva alta ministrat
pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt.
    Et dubitant homines serere atque impendere curam?
    Quid maiora sequar? salices humilesque genistae
aut illae pecori frondem aut pastoribus umbram
sufficiunt saepemque satis et pabula melli.
Et iuvat undantem buxo spectare Cytorum
Naryciaeque picis lucos, iuvat arva videre
non rastris, hominum non ulli obnoxia curae.
Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae,
quas animosi euri adsidue franguntque feruntque,
dant alios aliae fetus, dant utile lignum
navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque;
hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
agricolae et pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fecundae, frondibus ulmi;
at myrtus validis hastilibus et bona bello
cornus; Ituraeos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliae leves aut torno rasile buxum
non formam accipiunt ferroque cavantur acuto.
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus

430 *aueria* P. **431-432** horum v. ordinem mut. R. **431** *cythisi* P | *taesdas* M, *taed-* M^1. **432** *ac* R. **433** *inpen-* P | hunc v. tradunt P R, om. M, suppl. ima p. M^2, unde iterum abrasus. Secundis curis, credo, additus est non in ordine sed in marg., unde non omnia exemplaria descripserunt. **434** *matora* P | *-ilis* M | *genes-* P. **435** *ille* M P R, *-ae* M^2 | « *aut illae pecori frondem :* multi autem *tiliae* legunt » Serv. | *umbras* R. **436** *metelli* M, *melli* M^1. **437** *cytoron* Prob. **439** *hominum* disting. M^2 | *uiliornoxia* M, corr. M^2. **440** *ipse* M, *-sae* M^2 | *-caseo* P | *uerticae* M, *-ce* M^1. **441** *tadsidue* M, *ad-* M^1, *adsiduae* R. **442** *aios* P. **443** *pinus* P | *cupresso* P, *-os* P^1, *cuparessos* R. **444** *raustris* P. **446** *fecundae* disting. M^2 | « *uiminibus- fecundae,* legitur et *fecundae frondibus ulmi* » Serv. | *frontibus* M, *frondi-* M^1 | *ulmis* P. **447** *ad* M P R, *at* M^2 | *bella* M, *-llo* M^2. **448** *ityreos* M P, *tyraeos* R | *-entus* P. **451** *torquentem* M, *torre-* M^1.

missa Pado, nec non et apes examina condunt
corticibusque cavis vitiosaeque ilicis alvo.
Quid memorandum aeque Baccheia dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam causas dedit; ille furentis
Centauros leto domuit, Rhoetumque Pholumque
et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimium, sua si bona norint,
agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis
fundit humo facilem victum iustissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
mane salutantum totis vomit aedibus undam
nec varios inhiant pulchra testudine postes
inlusasque auro vestes Ephyreiaque aera,
alba neque Assyrio fucatur lana veneno
nec casia liquidi corrumpitur usus olivi,
at secura quies et nescia fallere vita,
dives opum variarum, at latis otia fundis,
speluncae vivique lacus, at frigida Tempe
mugitusque bovom mollesque sub arbore somni
non absunt; illic saltus ac lustra ferarum
et patiens operum exiguoque adsueta iuventus,
sacra deum sanctique patres; extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

452 *exagmine* M, corr. M². **453** *alueo* R | « sane pro alveo per synaeresin alvo dicimus » Serv. **454** « *aeque . . .*, alii legunt *et quae* » Serv. | *-haeia* M. **455** *baccus* M, corr. M⁷. **456** *-aurus* R | *laeto* M, *le-* M² | *domoit rhecum* P | *polum* M P. **458** *fornatos* M R | *sibebona* M, *sibo-* M¹. **462** *ediebus* R. **464** *inclusas* M P R, *inlu-* M² | « *inlusas auro* in quibus artifex auro ludens aliqua depinxerat; male autem quidam *inclusas* legunt » Serv.; *illusas auro* P A C (III p. 511, 435 | *afra* M, *aera* M¹. **465** *nec* R. **466** *cassia* M, *casia* M¹, *-ae* P | *conrum-* P. **467** *ad* M R, *at* M² | *uitam* P R. **468** *ac* R: **469** *ad* R, *et* M. **470** *bouom*] *-uum* P, *-um* M R. **472** *exiguo*] *parvo* Serv. aliique grammatici (ex A. IX 607). **473** *saucra* M, *sac-* M¹.

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
quarum sacra fero ingenti percussus amore,
accipiant caelique vias et sidera monstrent,
defectus solis varios lunaeque labores,
unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
quid tantum Oceano properent se tinguere soles
hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturae accedere partis,
frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,
rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
flumina amem silvasque inglorius. O ubi campi
Spercheosque et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! o qui me gelidis convallibus Haemi
sistat et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas
atque metus omnis et inexorabile fatum
subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari.
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestis,
Panaque Silvanumque senem nymphasque sorores.
Illum non populi fasces, non purpura regum
flexit et infidos agitans discordia fratres
aut coniurato descendens Dacus ab Histro,
non res Romanae perituraque regna, neque ille
aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.

476 *percussus* M, *-ulsus* M^2. **480** *que* add. R^1. **481** *tinguere*] etiam P A C (IV p. 54, 362). **483** *naturas* M, *-ae* M^1 | *partes* M R, *patris* P. **484** *-cordaa* P. **485** *rigidi* R. **486** *amen* M, *-em* M^1 | *doubi* M, *o ubi* M^2 | *o* om. P R. **487** *-cheos* M, *-cheus* M^2 P, P A C (III p. 293, 372), *-chios* R, Prob., *-chius* Prisc. (II § 46). **488** *tahygeta* R, *taug-* P | *conuallibus* M, *inu-* rursusque *conu-* M^x, *inu-* R, *conuallimus* P. **491** *adque* R | *ineluctabile factum* R. **493** *fortus* R, corr. R^3 | *quidquit* M, *quinouit* M^2 | *agrestis* M, *-tes* M^2. **496** *dicor-* R, *discor-* R^1. **497** *discedens* P | *habistro* P. **498** *illdit* P, *ille* P^4.

Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
sponte tulere sua, carpsit nec ferrea iura
insanumque forum aut populi tabularia vidit.
  Sollicitant alii remis freta caeca ruuntque
in ferrum, penetrant aulas et limina regum;
hic petit excidiis urbem miserosque penatis,
ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;
condit opes alius defossoque incubat auro;
hic stupet attonitus rostris; hunc plaussus hiantem
per cuneos geminatus enim plebisque patrumque
corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum
exilioque domos et dulcia limina mutant
atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
hinc anni labor, hinc patriam parvosque nepotes
sustinet, hinc armenta boum meritosque iuvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus
aut fetu pecorum aut Cerealis mergite culmi
proventuque oneret sulcos atque horrea vincat.
Venit hiemps: teritur Sicyonia baca trapetis,
glande sues laeti redeunt, dant arbuta silvae;
et varios ponit fetus autumnus et alte
mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

501 *careset* M, *carsit* R, *carpsit* M^1 R^1 | *ferta* M, *-rrea* M^2 | *rura* R. **502** *-numue* R. **505** *-ates* M R. **506** *sarrano*] etiam Serv., Prob., *serrano* M, *sarr-* M^2, *saerrano* P (duplex in exemplo lectio: *sarr-* et *serr-*) | *indormiat* M, *in* del. M^2. **508** *hic* M, *hunc* M^1 | *plaussus* M, *-usus* M^1 P R. **511** *exillo* M, *-ilio* M^1. **512** *quaerunt pa-* P | *sole*] *lose* P. **513** *-icula* M, *-icola* M^1 | *dimouit*] *molitus* M (ex I 494). **514** *nepotes*] *penates* M (ex A. VIII 543). **515** *hic* M. **516** *exubet* P, corr. P^1. **517** *lecorum* in *pe-* corr. M | *caerealis* R, *ceria-* M, *certa-* P, *cerea-* M^2. **518** *adque* R, *aut* M, *atque* M^2. **519** *territur* P | *sycionia* M, *siquo-* R, *sicun-* P | *bacca* M, *baca* M^2 | *trpetis* R, *trpeptis* R^x. **520** *arsuta* P, *arbusta* R. **521** *altae* R. **522** *milis* P.

Interea dulces pendent circum oscula nati,
casta pudicitiam servat domus, ubera vaccae
lactea demittunt pinguesque in gramine laeto
inter se adversis luctantur cornibus haedi.
Ipse dies agitat festos fususque per herbam,
ignis ubi in medio et socii cratera coronant,
te libans, Lenaee, vocat pecorisque magistris
velocis iaculi certamina ponit in ulmo,
corporaque agresti nudant praedura palaestrae.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
hanc Remus et frater, sic fortis Etruria crevit
scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma
septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictaei regis et ante
impia quam caesis gens est epulata iuvencis,
aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat;
necdum etiam audierant inflari classica, necdum
impositos duris crepitare incudibus enses.

Sed nos immensum spatiis confecimus aequor,
et iam tempus equom fumantia solvere colla.

525 *dimitt-* M, *demitt-* M^{1}. **527** *eusus* M, *fu-* M^{2}. **528** *immedio* P, *inme-* M^{1}, *ingenio* M. **529** *libas* M, *-ans* M^{2} | *leneae* M P, *-naee* M^{2} | *uocant* P | *mages-* P. **531** *acresti* M | *perdura* M, *praed-* M^{2} | *palestrae* M, *-ra* R, *palaestra* P, Serv. **532** *uitam ue-* P. **533** *fortes* M, *-tis* M^{1} | *aetru-* M. **534** *factu est* R, *facia et* P.

II 535-542 M P R V. — **536** *ceptrum* P, *sc-* P^{1} | *dictaei*] *-taet* P | *rgis* P, *reg-* P^{1}. **537** *ist* P. **538** *ternis* P. **539** *inlari* P. **540** *inpositos* P, *-tis* M, *-tos* M^{2} | *duros* M, *-ris* M^{2} | *crepet-* P. **541** *inmen-* M. **542** *equum* M, *aeq-* R, evanuit in V | *fumantia* (cf. III 203 *sudabit*, A. XII 388 *equos fumantis sudore*)] *spumantia* P R.

P. Vergili Maronis Georgicon lib. II expl. M, *Vergili Maronis Georgicon liber II explic.* R, *Georgicon lib. II* P.

LIBER TERTIUS

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
pastor ab Amphryso, vos, silvae amnesque Lycaei.
Cetera, quae vacuas tenuissent carmine mentes,
omnia iam volgata: quis aut Eurysthea durum
aut inlaudati nescit Busiridis aras?
quoi non dictus Hylas puer et Latonia Delos
Hippodameque umeroque Pelops insignis eburno,
acer equis? Temptanda via est, qua me quoque possim
tollere humo victorque virum volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas;
primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas
et viridi in campo templum de marmore ponam
propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius et tenera praetexit harundine ripas.
In medio mihi Caesar erit templumque tenebit.

Incipit lib. III feliciter M, *Incip. liber III* R, *Georgicon lib. III* P.

III 1-12 F M P R V. — 2 *amphrysso* R, *amfreso* M, *amphysos* P, *-prhyso* P^c | *manes* P, *amn-* P^c. 3 *que* P, *quae* P^c | *uacua* F, *-as* F^1 | *carmina* F M R, *-ne* F^1 V (?); « legitur et *carmine* et ut puto rectius; non enim dicit *cetera carmina iam vulgata*, sed *cetera omnia* absolute » Serv. | *mentis* (?) M, *-tes* M^1. 4 *im* F, *iam* F^1 | *uulg-* F M R V | *eurystea* M, *erysthea* V. 5 *-datis* M, *inplacati* Ansil. (BU 60) | *nescili* P, *-cit* P^c | *busiris* F, corr. F^1 | *arces* M, *aras* M^1. 6 *quoi* F, *cui* F^1 M P R V | *dicius* P, *-ctus* P^c | *-onea* P | *deluos* P, *-los* P^c. 7 *hyppodame* M, *hippodam* R | *pelobs* F V (?) | *ebunt* P, *-urno* P^c. 8 *uiast* (?) V | *possem* P, evanuit in V. 9 *humo* add. F^1 | *uerum* F, *uir-* F^1. 10 *primum* (?) in *-us* corr. F. 11 *diducam* (?) V. 12 *idumeas* P, *idym-* F M, *idymaeas* M^1 V.

III 13-21 F M P R. — 16 *immedio* P | *temptum* P | *tebit* F, corr. F^1.

Illi victor ego et Tyrio conspectus in ostro
centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi Alpheum linquens lucosque Molorchi
cursibus et crudo decernet Graecia caestu.
Ipse caput tonsae foliis ornatus olivae
dona feram. Iam nunc sollemnis ducere pompas
ad delubra iuvat caesosque videre iuvencos
vel scaena ut versis discedat frontibus utque
purpurea intexti tollant aulaea Britanni.
In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam victorisque arma Quirini
atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac navali surgentis aere columnas;
addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
fidentemque fuga Parthum versisque sagittis
et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea
bisque triumphatas utroque ab litore gentes.
Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles demissaeque ab Iove gentis
nomina Trosque parens et Troiae Cynthius auctor.
Invidia infelix furias amnemque severum
Cocyti metuet tortosque Ixionis anguis
immanemque rotam et non exsuperabile saxum.

17 *illic* R, periit in F | *trio* M, *tyr-* M^1. **18** *-iiuos* P. **19** *alphaeum* P | *liquens* M, *linq-* M^1, *pubes* P | *-orci* P. **20** *duro* R | *decernet*] Prob., *-nit* F M P R, *-net* F^1, *-rtet* M^1 | *cestu* F, *cae-* F^1. **21** *ipsae* M, *-se* M^2 | *tonse* F, *-sae* F^1.

III **22-145** M P R. — **22** *sollemis* P, *-mnis* P^1, *-mnes* R. **24** *scena* M | *tollant*] etiam P A C (III p. 280, 26) | *tollent aulea* P | *brittanni* R. **26** *sodlido* P, *sol-* P^1 | *lepantho* P. **27** *ganearidum* M, corr. M^2 | *faciam*] *uictam* P. **28** *huic* P, *huc* (?) P^1. **29** *et* R | *nauili* R, *-ualis* P | *surgentis* M, *-guentis* R, *-gentes* M^2. **30** *niphantē* R, *nauatem* M, *nifaten* M^2. **31** *fidentem* R, *-mque* R^1. **34** *parti* P, *rarii* R | *pirantia* P. **35** *abique* P | *gentes* P, *-tis* R. **36** *tros* M, *trus* M^2, *tros* M^x | *troia* P. **38** *metuens* P | *anguis*] etiam P A C (III p. 282, 80), *angues* P, *orbes* R (ex IV 484 *orbis*). **39** *experabile* M, *exsup-* M^2.

Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa.
Te sine nil altum mens incohat: en age segnis
rumpe moras; vocat ingenti clamore Cithaeron
Taygetique canes domitrixque Epidaurus equorum,
et vox adsensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentis accingar dicere pugnas
Caesaris et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.
Seu quis Olympiacae miratus praemia palmae
pascit equos seu quis fortis ad aratra iuvencos,
corpora praecipue matrum legat. Optuma torvae
forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix
et crurum tenus a mento palearia pendent;
tum longo nullus lateri modus; omnia magna,
pes etiam; et camuris hirtae sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo
aut iuga detractans interdumque aspera cornu
et faciem tauro propior quaeque ardua tota
et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Aetas Lucinam iustosque pati hymenaeos
desinit ante decem, post quattuor incipit annos;
cetera nec feturae habilis nec fortis aratris.

41 *haut* R. **42** *nihil* R, *nich-* R^2 | *inchoat* R | *ege* M, *age* M^1 | *segnes* R. **43** *rumpere* M | *uacat* M, *uoc-* M^1 | *citherō* M. **44** *taug-* P. **46** *ardentis* M, *-tes* M^2 | « *ardentis pugnas* legendum est; nam male quidam *ardentis Caesaris* accipiunt, ut *is* communis sit syllaba » Serv. | « (*pugnas*) hic distingue, ut Aeneadas significasse videatur, quia una Actiaca pugna Octaviani Caesaris fuit » Serv. V. **48** *tethoni* P | *quot*] Prob., *quod* M P R, *quot* M^2. **49** *olymphia-* P. **50** *pascet* P | *se* M, *seu* M^1 | *fortis* M, *-tes* M^2, *et fortis* P. **51** *-cipuae* M | *tegat* M, *le-* M^2 | *optima* M^1 R, *-tma* M. **52** *bous* M, *-uis* M^1. **55** *camuris* M, *-myris* M^1 | *cum* M, *sub* M^2. **56** *tibi* M, *sibi* M^2 | *displeceat* M, corr. M^1. **57** *detrect-* M. **58** *auro* P | *proprior* M, *prior* R, *propi-* R^2. **59** *uerit* M, corr. M^2 | *gauda* P. **60** *aestas* M, *aet-* M^1 | *lucina* M R, *-am* M^2. **61** *decim* R. **62** *aratri* M, *-is* M^2.

Interea, superat gregibus dum laeta iuventas,
solve mares; mitte in Venerem pecuaria primus
atque aliam ex alia generando suffice prolem.
Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus
et labor, et durae rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis;
semper enim refice ac, ne post amissa requiras,
anteveni et subolem armento sortire quotannis.
Nec non et pecori est idem dilectus equino.
Tu modo, quos in spem statues submittere gentis,
praecipuum iam inde a teneris impende laborem.
Continuo pecoris generosi pullus in arvis
altius ingreditur et mollia crura reponit;
primus et ire viam et fluvios temptare minantis
audet et ignoto sese committere ponti
nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix
argutumque caput, brevis alvos obessaque terga,
luxuriatque toris animosum pectus. Honesti
spadices glaucique; color deterrimus albis
e gilvo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,
stare loco nescit, micat auribus et tremit artus
collectumque premens volvit sub naribus ignem.
Densa iuba et dextro iactata recumbit in armo;

63 *iuuentus* M, *-tas* M^2, *-tis* P. **64** *pecuria* R. **65** *adque* R | *ex aliis* P. **68** *du* M, *durae* M^2. **69** *mallis* R, *mauis* M. **70** *agne* M, *acne* M^1 | *admissa* M. **71** *-tere* P | *quodan-* PR. **73** *summitt-* M P | *gentes* R. **74** *inpende* M P. **77** *minantis*] etiam Seneca (Epist. 95, 68), schol. Bern., *minacis* R, *-ces* M. **78** *ponti*] etiam Seneca (ib.), Serv., *ponto* M, *-ti* M^2. **80** *aluos*] *-uus* M P R | *obesa* M R. **82** *spandices* P | *albis e gilvo*] i. e. albis gilvo mixtis | « multi ita legunt *albis e gilvo* (sic Georgii), ut non album vel gilvum, sed albogilvum vituperet » Serv.; *et gilvo* M P R ceterique codd. **85** *premens*] Seneca (ib.), *primens* P, *praem-* R, *frem-* M.

at duplex agitur per lumbos spina, cavatque
tellurem et solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis
Cyllarus et, quorum Grai meminere poetae,
Martis equi biiuges et magni currus Achillei;
talis et ipse iubam cervice effundit equina
coniugis adventu pernix Saturnus et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
  Hunc quoque, ubi aut morbo gravis aut iam segnior annis
deficit, abde domo nec turpi ignosce senectae.
Frigidus in Venerem senior frustraque laborem
ingratum trahit et, si quando ad proelia ventumst,
ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
in cassum furit. Ergo animos aevomque notabis
praecipue; hinc alias artis prolemque parentum
et quis cuique dolor victo, quae gloria palmae.
Nonne vides, cum praecipiti certamine campum
corripuere ruuntque effusi carcere currus,
cum spes arrectae iuvenum exsultantiaque haurit
corda pavor pulsans? Illi instant verbere torto
et proni dant lora; volat vi fervidus axis;
iamque humiles iamque elati sublime videntur
aëra per vacuum ferri atque adsurgere in auras;
nec mora nec requies; at fulvae nimbus harenae

87 *ad* M, *at* M^{2} | *cauet* in *-uat* corr. M. **88** *sonat*] *quatit* R. **89** *amyclei* P, *-laet* R | *pollycis* R. **90** *cyllaros* Prob. **91** *achilles* M, *-llis* M^{7} R. **92** *ipsae* M | *effudit* Ansil. (IU 3), Probi codd. alii *-undit* alii *-udit* (recte hic *effundit*, dein *implevit*, ut 517 *it*, *reliquit*, I 34 *contrahit*, *reliquit*). **94** *fugins* P, *-iens* P^{1} | *inple-* P. **95** *hinc* M | *mormo* P | *ima* M, *iam* M^{2} | *annis*] *aetas* R. **96** *defecit* M, corr. M^{7}. **97** *uenere* M, *-rem* M^{2} | *segnior* M, *sen-* M^{1}. **98** *uentumst* R, *-mest* M P R^{5}. **99** *in* add. M^{2} | *stipulamagnus* R. **100** *incasum* R | *aeuum* M R. **101** *-cipuae* M | *artis* M, *-tes* M^{2}, *partis* P. **105** *exult-* M P R. **106** *uerberat orto* R | *toto* P. **107** *uocat* M, *uolat* M^{2}. **109** *exsurgere in aures* R. **110** *ad* M P R, *at* M^{2}.

tollitur, umescunt spumis flatuque sequentum:
tantus amor laudum, tantaest victoria curae.
Primus Ericthonius currus et quattuor ausus
iungere equos rapidusque rotis insistere victor;
frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere
impositi dorso atque equitem docuere sub armis
insultare solo et gressus glomerare superbos.
Aequos uterque labor, aeque iuvenemque magistri
exquirunt calidumque animis et cursibus acrem,
quamvis saepe fuga versos ille egerit hostis
et patriam Epirum referat fortisque Mycenas
Neptunique ipsa deducat origine gentem.
His animum adversis instant sub tempus et omnis
impendunt curas denso distendere pingui,
quem legere ducem et pecori dixere maritum,
florentisque secant herbas fluviosque ministrant
farraque, ne blando nequeat superesse labori
invalidique patrum referant ieiunia nati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes
atque, ubi concubitus primos iam nota voluptas
sollicitat, frondesque negant et fontibus arcent;
saepe etiam cursu quatiunt et sole fatigant,
cum graviter tunsis gemit area frugibus et cum
surgentem ad zephyrum paleae iactantur inanes.

111 *-entium* P. **112** *tantae est* R | *uitoria* P. **113** *ericthonius* M (cf. *Pthiam* A. I 284), *erectho-* P, *ericto-* R. **114** *iugere* M, *iung-* M[1] | *apidus* M, *ra-* M[1], *rapidis* M[2]. **115** *peletroni lapitihae* M, corr. M[1] | *laphitae* R. **116** *adque* R. **118** *aequos*] *-quus* M P R, *durus* Serv. V | *iuvenum* R, *-ntum* P. **120** *illi* P | *hostes* M. **121** *micenas* M, *myc-* M[1]. **122** *gentem*] *nomen* R. **123** *animaadu-* M, *animadsis* R, *-duersis* R[1] | *omnes* P R. **124** *curadensos* M, corr. M[2]. **125** *pecoris* P | *magistrum* P. **127** *nequeant* P, *-ans* M, *-ats* M[2]. **128** *ietiunia* P. **130** *voluntas* P. **131** *-citant* R | *necant* R. **133** *tusis* R | « *tusis* sine n littera legendum » Serv. V | *aera* M. **134** *et* M, *ad* M[1].

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtunsior usus
sit genitali arvo et sulcos oblimet inertis,
sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat.
 Rursus cura patrum cadere et succedere matrum
incipit. Exactis gravidae cum mensibus errant,
non illas gravibus quisquam iuga ducere plaustris,
non saltu superare viam sit passus et acri
carpere prata fuga fluviosque innare rapacis.
Saltibus in vacuis pascunt et plena secundum
flumina, muscus ubi et viridissima gramine ripa
speluncaeque tegant et saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa ilicibusque virentem
plurimus Alburnum volitans, quoi nomen asilo
Romanust, oestrum Grai vertere vocantes,
asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis
diffugiunt armenta; furit mugitibus aether
concussus silvaeque et sicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monstro horribilis exercuit iras
Inachiae Iuno pestem meditata iuvencae;
hunc quoque (nam mediis fervoribus acrior instat)
arcebis gravido pecori armentaque pasces
sole recens orto aut noctem ducentibus astris.
 Post partum cura in vitulos traducitur omnis;
continuoque notas et nomina gentis inurunt

135 *obtons-* P. **136** *sulscos* P | *ublimet* M, *ob-* M^2. **137** *set* M. **140** *qusquam* P, *quis-* P^1 | *iugi* in *-ga* corr. M. **141** *saltu*] *-us* M P R | *superalte* P | *agri* R. **143** *pascunt* M, *-cant* M^7 | *gramina* P | *ripae* M, *-a* M^2. **145** *protegit* M, *-gat* M^1, *procubet* M^2.

III **146-180** F M P R. — **146** *lucos* M, *-co* P, *-cus* F M^2 R, *-cum* Seneca (Epist. 58, 2) | *sileri* M, *-lari* M^2. **147** *cui* M P R | *asylo* P. **148** (*roman*)*ust* F, *-umst* R, *-um est* M P R^3 | *graii* R. **149** *acerua* M. **150** *fugit* F. **152** *mostro* R | *horribilis* F, *-li* M, *-lis* M^1, *-les* F^1. **153** *inachie* M, *-iae* M^2. **154** *imm* F, *nam* F^1 | *arior* F, *acr-* F^1. **155** *pecoris* P, *-i* M, *-ique* M^7 | *pascis* F. **156** *astres* P.

et quos aut pecori malint submittere habendo
aut aris servare sacros aut scindere terram
et campum horrentem fractis invertere glaebis.
Cetera pascuntur viridis armenta per herbas.
Tu, quos ad studium atque usum formabis agrestem,
iam vitulos hortare viamque insiste domandi,
dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
cervici subnecte; dehinc, ubi libera colla
servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos
iunge pares et coge gradum conferre iuvencos;
atque illis iam saepe rotae ducantur inanes
per terram et summo vestigia pulvere signent;
post valido nitens sub pondere faginus axis
instrepat et iunctos temo trahat aereus orbis.
Interea pubi indomitae non gramina tantum
nec vescas salicum frondes ulvamque palustrem,
sed frumenta manu carpes sata; nec tibi fetae
more patrum nivea implebunt mulctraria vaccae,
sed tota in dulcis consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium turmasque ferocis
aut Alphea rotis praelabi flumina Pisae

159 *summit-* F P R. **160** *sagros* F, *sacr-* F^1. **161** *glebis* R. **162** « *cetera* quae non inuruntur » Serv. (ea, credo, quae vescendi causa caesuri erant) | *uiris* F, *-ridis* F^1. **163** *studiu* (?) in *-ia* corr. F, *studia* R. **165** *moblis* F, corr. F^1 | *retas* in *ae-* corr. F | « est duplex lectio; potest enim et sic legi *iuvenum dum mobilis aetas* » Serv. V (scil. erant qui *animi* distinguerent). **166** *mine* R, *uimine* R^1, *uiminte* P | *circos* F Ƥ, *-clos* F^1 M^2, *criclos* M. **167** *ceruice sub nocte* M, corr. M^2. **168** *ipsise* M, *ipsis . e* M^2, *ipsis . i.* F. **169** *goge* P | *radum* P, *gr-* P^1 | *iuuencis* M, *-cos* M^2. **170** *illos* M, *illis* M^2. **172** *facinus* P R. **173** *taemo* F, *te-* F^1 | *orbes* F M P. **175** *uluas* F, *-am* F^1, *siluam* R. **176** *set* M | *capes* F, *carp-* F^1 | *nec*] *sed* R. **177** *inpl-* P | *mulctaria* M, *multra-* F, *mulctra-* F^1 M^1. **178** *set* M, *et* F | *dulces* M R | *consumant* M, *-ment* M^2, *-mant* M^x. **179** *feroces* F R. **180** *alphaea* R | *pisi* F, *-sae* F^1.

et Iovis in luco currus agitare volantis,
primus equi labor est animos atque arma videre
bellantum lituosque pati tractuque gementem
ferre rotam et stabulo frenos audire sonantis,
tum magis atque magis blandis gaudere magistri
laudibus et plausae sonitum cervicis amare.
Atque haec iam primo depulsus ab ubere matris
audeat inque vicem det mollibus ora capistris
invalidus etiamque tremens, etiam inscius aevi.
At tribus exactis ubi quarta acceperit aestas,
carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare
compositis sinuetque alterna volumina crurum
sitque laboranti similis; tum cursibus auras,
tum vocet ac per aperta volans ceu liber habenis
aequora vix summa vestigia ponat harena,
qualis Hyperboreis aquilo cum densus ab oris
incubuit Scythiaeque hiemes atque arida differt
nubila: tum segetes altae campique natantes
lenibus horrescunt flabris summaeque sonorem
dant silvae longique urguent ad litora fluctus;
ille volat simul arva fuga, simul aequora verrens.
Hinc vel ad Elei metas et maxima campi

III 181-214 A F M P R. — **181** *uolantis* M, *-tes* M^2, evanuit in A, *-lentis* F. **182** *equis* M, *-i* M^1 | *adque* F R. **183** *bellatantum* F, corr. F^1. **184** *audere* M, *-dire* M^2 | *sonantes* R. **185** *adque* R. **186** *plausa* M, *-sae* M^1 | *amari* (?) F, *-re* (?) F^1. **187** *adque* F Ṙ. **188** *audeat* F^1 M, *-diat* F M^2 R. **189** *etiamque* M, *iamiam-* M^7 | *atque* M, *etiam* M^2. **190** *acceperit* (scil. eum, B. VIII 39)] *occeperit* F, *accesserit* A M F^1 (foeda interpolatio), *accepe-* M^2 | *aestas* F, *aet-* F^1 M, Serv. **191** *que* add. F^1. **192** *-siti* R | *sinuetquae* F R, *-que* F^1 | *currum* M, *crurum* M^1. **193** *id* (?) F, *sit* F^1 | *sitquae* R | *eum* F, *cum* F^1, *tum* F^x | *auris* P. **194** *tum u-*] *prouocet* P | *pert* F, *per* F^1. **195** *suma* P | *ponit* A. **197** *hiemis* F | *deffert* F, *diff-* F^1. **198** *eum* (?) M, *tum* M^1 | *natantis* F. **199** *fabris* A | *sumae* A | *sonoris* A. **200** *urgent* A F M P. **201** *fugas* R. **202** *hic* A M P, *hinc* M^2 | *uol* P | *eli* F, *elei* F^1, *aelei* M.

sudabit spatia et spumas aget ore cruentas,
Belgica vel molli melius feret esseda collo.
Tum demum crassa magnum farragine corpus
crescere iam domitis sinito; namque ante domandum
ingentis tollent animos prensique negabunt
verbera lenta pati et duris parere lupatis.
  Sed non ulla magis viris industria firmat,
quam Venerem et caeci stimulos avertere amoris,
sive bovom sive est quoi gratior usus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
pascua post montem oppositum et trans flumina lata
aut intus clausos satura ad praesaepia servant.
Carpit enim viris paulatim uritque videndo
femina nec nemorum patitur meminisse neque herbae,
dulcibus illa quidem inlecebris, et saepe superbos
cornibus inter se subigit decernere amantis.
  Pascitur in magna Sila formonsa iuvenca:
illi alternantes multa vi proelia miscent
volneribus crebris; lavit ater corpora sanguis,
versaque in obnixos urguentur cornua vasto
cum gemitu; reboant silvaeque et longus Olympus.

203 *suadabit* F, *sud-* F^1 | *spas* F, *spumas* F^1 | *aget* F M^7, *agit* F^1 M P. **204** *bellica* M P, *belgi-* M^2 | *fer* R, *-rt* R^1, *ferat* A. **205** *crassumferra-* M, *crassamagnumfarra-* M^2. **206** *domantum* M, *-ndum* M^2. **209** *nonnulla* F, *nonu-* F^1, *nonuela* A | *uiris* M, *-res* A F M^2 R. **210** *auerteret* M, corr. M^2 | *amores* A. **211** *bouom* F, *boum* A F^1 M P R | *quo* F, *-oi* F^1, *cui* A M P R. **212** *adque* (utrimq.) R | *insula* R | *relig-* F R, *releg-* F^1. **213** *nata* M, *la-* M^2. **214** *praesepia* A F R.

III 215-220 A M P R. — **215** *uiris* M, *-res* A M^2 R | *pallat-* P. **216** *nec* M R | *herba* (?) A. **218** *amantes* A R. **219** *sila*] Asper (p. 538), *silua* A M P R, *-la* M^1 | « *in magna silva, alii sila legunt* » Serv. | *formosa* M, Asper (ib.). **220** *illa* A.

III 221-284 M P R. — **221** *uulner-* M R | *lauit* M, *-uat* M^7 | *corpore* P. **222** *urgentur* M R. **223** *reboant*] etiam Serv., *resonant* M | *longius* M, *-gus* M^2, *magnus* P R et grammatici.

Nec mos bellantis una stabulare, sed alter
victus abit longeque ignotis exulat oris
multa gemens ignominiam plagasque superbi
victoris, tum quos amisit inultus amores:
  et stabula aspectans regnis excessit avitis.
Ergo omni cura viris exercet et inter
dura iacet pernix instrato saxa cubili
frondibus hirsutis et carice pastus acuta
et temptat sese atque irasci in cornua discit
arboris obnixus trunco ventosque lacessit
ictibus et sparsa ad pugnam proludit harena.
Ast, ubi collectum robur viresque refectae,
signa movet praecepsque oblitum fertur in hostem,
fluctus uti, medio coepit cum albescere ponto,
longius ex altoque sinum trahit utque volutus
ad terras immane sonat per saxa neque ipso
monte minor procumbit; at ima exaestuat unda
verticibus nigramque alte subiectat harenam.
  Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque
et genus aequoreum, pecudes pictaeque volucres
in furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leaena
saevior erravit campis nec funera volgo
tam multa informes ursi stragemque dedere
per silvas; tum saevos aper, tum pessima tigris;

224 *set* M. **225** *abiit* R. **226** *superbis* P. **228** hic v. ni fallor secundis curis additus est | *stabuli* M, *-la* M[2] | *adsp-* R. **229** *uitis* M, *uires* M[2] R. **230** « *pernix* modo perseverans » Serv., « legunt et *pernox*, sed *pernix* melius, i. e. pertinax » Serv. V | *instracto* P. **231** *frontibus* P | *caricae* R. **232** *tentat* R | *adque* R. **234** *hictibus aut* R | *parsa* M, *sp-* M[2]. **235** *ast*] *post* P R | *robor* R | *receptae* R. **236** *oblicum* M. **237** *uti medio*] *ut in m-* M, Serv., *ut primo* M[3] | *bescere* R, *alb-* R[2]. **239** *at* P. **241** *subiectat* (Lucr. VI 700 *saxa subiectare*)] *subuectat* M R. **246** *uulgo* M R. **248** *saeuus* M R | *tunc* R.

heu, male tum Libyae solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertemptet equorum
corpora, si tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos iam frena virum neque verbera saeva,
non scopuli rupesque cavae atque obiecta retardant
flumina correptosque unda torquentia montis.
Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus
et pede prosubigit terram, fricat arbore costas
atque hinc atque illinc umeros ad volnera durat.
Quid iuvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
durus amor? nempe abruptis turbata procellis
nocte natat caeca serus freta; quem super ingens
porta tonat caeli et scopulis inlisa reclamant
aequora; nec miseri possunt revocare parentes
nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variae et genus acre luporum
atque canum? quid quae imbelles dant proelia cervi?
Scilicet ante omnis furor est insignis equarum,
et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigae.
Illas ducit amor trans Gargara transque sonantem
Ascanium; superant montis et flumina tranant.
Continuoque, avidis ubi subdita flamma medullis

250-265 hi v. sedecim secundis curis additi videntur, quos si tollas, tolluntur et durae iterationes (aper 248 et sus 255; equorum 250 et equarum 266, auras 251 et 274, flumina 254 et 270) et hominum mentio (258-263) ab hoc loco sane aliena. **250** *et* P. **253** *adque* R | *retaretardant* R. **254** *montis* M, *-tes* M^2. **255** *suus* M P, *sus* M^1, *usus* R. **257** *adque h- adque* R | *hint* M, *-nc* M^1 | *umerosque* P | *uuln-* M R. **258** *quiuuenis* P. **259** *nurus* P | *nemper* P. **261** hunc v. bis scr. M, priore loco del. M^2 | *scopuli* in *-is* utrimq. corr. M | *reilamant* in *recla-* priore loco corr. M. **263** *supra* P. **264** *lynches* M. **265** *adque* M R, *atq-* M^2 | *inbelles* M P, *-llis* R. **266** *omnes* R | *aequarum* M, *e-* M^2. **267** *glauci*] *primum* Prob. **268** *poeniades* M, *potn-* M^1 | *esumpsere* M, *absu-* M^2, *absumsere* R. **270** *moniis* in *-ntis* corr. P, *-ntes* M.

(vere magis, quia vere calor redit ossibus), illae
ore omnes versae in zephyrum stant rupibus altis
exceptantque levis auras et saepe sine ullis
coniugiis vento gravidae (mirabile dictu)
saxa per et scopulos et depressas convallis
diffugiunt, non, Eure, tuos neque solis ad ortus,
in borean caurumque aut unde nigerrimus auster
nascitur et pluvio contristat frigore caelum.
Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
pastores, lentum destillat ab inguine virus,
hippomanes, quod saepe malae legere novercae
miscueruntque herbas et non innoxia verba.
  Sed fugit interea, fugit inreparabile tempus,
singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc satis armentis; superat pars altera curae,
lanigeros agitare greges hirtasque capellas.
Hic labor, hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
quam sit et angustis hunc addere rebus honorem;
sed me Parnasi deserta per ardua dulcis
raptat amor; iuvat eire iugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo.
Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.

272 *redit calor* R | *illis* R. 273 « *in* pro contra » Serv. V, om. M, *ad* M^2 R. 274 *expectant* M, *exsp-* P, *exceptant* M^2 | *leues* P R. 276 *depressa* M, *-as* M^2 | *-ualles* M R. 278 *borehan* P, *-eam* R | *chaurum* M^2 R, *char-* M | « *caurum* pro corum » Serv., « *caurus* quem plures vocant corum » Vitr. (I 6, 5). 279 *sidere* R. 280 *hic d- hipp- quod saepe malae leger*(*e nouercae*) ad 282 aberrans, M, qui deinde totum 280 iterum scripsit | *hic*] *h* in ras. M^1 | *nemine* (?) M, *nom-* M^1. 282 *male* R | 284 *set* M.

III 285-348 F M P R. — 285 *capiti* R. 286 *superat est* M, *est* del. M^2. 287 *lanigros* P | *hertas* (?) in *hir-* corr. M. 291 *parnasii* F R, *-si* F^1. 292 *eire*] *ire* M P R (cf. A. IX 269 et quae de *eitur* ad A. VI 179 coniecerunt grammatici). 293 *uertitur* F, *deu-* F^1 | *ciluo* R. 294 *sanandu* F, *sonandum* F^1.

Incipiens stabulis edico in mollibus herbam
carpere ovis, dum mox frondosa reducitur aestas,
et multa duram stipula filicumque maniplis
sternere supter humum, glacies ne frigida laedat
molle pecus scabiemque ferat turpisque podagras.
Post hinc digressus iubeo frondentia capris
arbuta sufficere et fluvios praebere recentis
et stabula a ventis hiberno opponere soli
ad medium conversa diem, cum frigidus olim
iam cadit extremoque inrorat aquarius anno.
Haec quoque non cura nobis leviore tuendae,
nec minor usus erit, quamvis Milesia magno
vellera mutentur Tyrios incocta rubores;
densior hinc suboles, hinc largi copia lactis:
quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,
laeta magis pressis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirqui saetasque comantis
usum in castrorum et miseris velamina nautis.
Pascuntur vero silvas et summa Lycaei
horrentisque rubos et amantis ardua dumos
atque ipsae memores redeunt in tecta suosque

295 *tabulis* M, *st-* M^1. **296** *oues* F P R | *reducitur*] *du* ex corr. F. **297** *duram* M, *dura* F, *dura in* F^1, *duram* F^4, *durum* P R | *stimula* F, *stipula* F^1, *-am* M. **298** *stertere* R | *subter* F M | *gacies* M, *gla-* M^1. **300** *ideo* F, *iubeo* F^1. **301** *recentes* M. **305** *hae* P | « *haec quoque* cum de capellis loquatur, figurate neutro usus est genere » Serv., « (*hae*) legitur et *haec* » Serv. V, « *haec capellae*, non *hae capellae*, ut Donatus » Ansil. (CA 289) | *curra* P, *cur* F, *cura* F^1 | *tuenda* M. **307** *colores* R. **308** *hic largi* F, *hinc l-* F^1. **309** *quo* R | *ubera* M R, *-re* M^1. **310** *flumina*] *ubera* P R | « *flumina :* legitur et *ubera* » Serv. V. **312** *cinyphi* M, *-hii* M^1 | *hirqui* F, *-rci* F^1 M, *-cis* R | « idem accidit et in hircis, quod antiqui hirquos dicebant » Velius (VII p. 59, 19 K) | *comantis* M, *-tes* M^2. **313** *castorum* R, *castro-* R^1. **314** *siluae* P. **315** hunc v. post 316 scr. M, ordinem restituit M^1. **315** *horrentes* F R. **316** *adque* F R | *ipe* P, *ipse* F M P^3, *-sae* F^1 | *inmem-* M, *immem-* M^1, *memores* M^2.

ducunt et gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivalis,
quo minor est illis curae mortalis egestas,
avertes victumque feres et virgea laetus
pabula nec tota claudes faenilia bruma.
At vero zephyris cum laeta vocantibus aestas
in saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,
Luciferi primo cum sidere frigida rura
carpamus, dum mane novom, dum gramina canent
et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde, ubi quarta sitim caeli collegerit hora
et cantu querulae rumpent arbusta cicadae,
ad puteos aut alta greges ad stagna iubebo
currentem ilignis potare canalibus undam;
aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
sicubi magna Iovis antiquo robore quercus
ingentis tendat ramos aut sicubi nigrum
ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra;
tum tenuis dare rursus aquas et pascere rursus
solis ad occasum, cum frigidus aëra vesper
temperat et saltus reficit iam roscida luna
litoraque alcyonem resonant, acalanthida dumi.

318 *niuales* F. **319** *quod* M, *-o* M^1 | *st* M, *est* M^1 | *cura* M, *-ae* M^1 | *aegestas* F, *eg-* F^1. **320** *uirgaea* F, *-gea* F^1. **321** *clautis* (?) M, *-udis* M^1 | *faenilla* M, *-ilia* M^1. **322** *ad* P R | *claeta* P, *la-* P^1. **323** *graegem* F | *adque* R | *mittet* M, *-es* F M^2 P R | « *aestas* subaudis advenerit » Serv. (nempe et is *mittes* legebat; cf. A. X 245 *spectabit*). **324** *luceferi* P, *lucifero* F, *-ri* F^1 | *sirigida* M, *fri-* M^1. **325** *careamus* P | *nouom*] *-uum* F M P R. **327** *sitia* M, *-tim* M^1 | *colligerit* P, *conleg-* F | *ora* M. **328** *quaerulae* F R, *querutulae* P, *-rule* M, *-rulae* M^1. **329** *at put-* F P | *aut*] *adque* R | *iubebo* F, *-eto* F^1 M R. **330** *elignis* P, *lignis* R, *ignis* M, *ilig-* M^2. **331** *ad* R, *aut* F P, *at* F^1. **332** *sicube* P | *quarcus* M, *quer-* M^1. **333** *aput* M, *aut* M^1 | *sicube* M, *-bi* M^1 | *renigrum* M, *ni-* M^1. **334** *gressus* M, *crebris* M^1 | *adcubet* F. **335** *tunc tenues* R | *rusus* M, *rurs-* M^2 | *pascere rusus* F, *p- rursus* F^1. **336** *uester* R, *-sper* R^1. **337** *rocida* F, *rosc-* F^1. **338** *alcyone* P, *-en* F R | *achalantida* P, *acalanti-* F.

Quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu
prosequar et raris habitata mapalia tectis?
saepe diem noctemque et totum ex ordine mensem
pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
hospitiis: tantum campi iacet. Omnia secum
armentarius Afer agit, tectumque laremque
armaque Amyclaeumque canem Cressamque pharetram,
non secus ac patriis acer Romanus in armis
iniusto sub fasce viam quom carpit et hosti
ante exspectatum positis stat in agmine castris.
At non, qua Scythiae gentes Maeotiaque unda,
turbidus et torquens flaventis Hister harenas
quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.
Illic clausa tenent stabulis armenta, neque ullae
aut herbae campo apparent aut arbore frondes;
sed iacet aggeribus niveis informis et alto
terra gelu late septemque adsurgit in ulnas.
Semper hiemps, semper spirantes frigora cauri;
tum Sol pallentis haut umquam discutit umbras,
nec cum invectus equis altum petit aethera nec cum
praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.
Concrescunt subitae currenti in flumine crustae
undaque iam tergo ferratos sustinet orbis,

342 *id* F P, *it* F^1 | *in*] *et* P | *sin* P | *uilis* (?) M, *ullis* M^1. **343** *hospitis* F, *-tiis* F^1 | *facet* M, *ia-* M^1. **344** *-tarius* F, *-tanus* F^1 | *ettectum* M, *tectum* M^1 | *laborem* R. **345** *amyclaeum* P, *-leum* M^1 P^6, *-ciaeum* M | *gressam* F M, *cr-* M^1. **346** *haud secus* Quintil. (IX 3, 20 ex memoria) | *sacer* F, *ac-* F^1. **347** *inuito* F | *easce* F, *fa-* F^1 P^1, *face* P | *cum* M P R | *hostis* P, *-tem* M, *-ti* M^2 | « *hosti stat* figurate pro contra hostem stat » Serv. V. **348** *expect-* M P | *positi* M, *-tis* M^1 | *in* om. R | *agmina* P.

III 349-350 M P R. — **349** *ad* R | *quas* M, *-a* M^1 | *meotia* R. **350** *harna* R, | *haren-* R^2.

III 351-401 M P R V. — **352** *nec* R. **354** *set* M. **355** *ulna* P. **356** *chauri* M R, Ti. Donat. (A. V 2), *chori* P V (cf. v. 278). **357** *tunc* P | *pallentis* M, *-tes* M^2, evanuit in V | *hau.* V. **359** *lauit* M, *-uat* M^2. **361** *feratos* M, *ferra-* M^1 | *orbes* M P R.

puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris,
aeraque dissiliunt volgo vestesque rigescunt
indutae, caeduntque securibus umida vina,
et totae solidam in glaciem vertere lacunae
stiriaque inpexis induruit horrida barbis.
Interea toto non setius aëre ninguit:
intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis
corpora magna boum confertoque agmine cervi
torpent mole nova et summis vix cornibus exstant.
Hos non immissis canibus, non cassibus ullis
puniceaeve agitant pavidos formidine pinnae,
sed frustra oppositum trudentis pectore montem
comminus obtruncant ferro graviterque rudentis
caedunt et magno laeti clamore reportant.
Ipsi in defossis specibus secura sub alta
otia agunt terra congestaque robora totasque
advolvere focis ulmos ignique dedere;
hic noctem ludo ducunt et pocula laeti
fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo septem subiecta trioni
gens effrena virum Riphaeo tunditur euro
et pecudum fulvis velatur corpora saetis.

363 *uulgo* M R V. **365** *sotae* M, *to-* M^1 | *in solidam* R | *lucunae* M, *lac-* M^1. **366** hunc v. om. R (a *stiria* enim ad seq. *interea* aberravit). **367** *saetius* M. **369** *con fecto* R V. **370** *molea noua* M, *mole noua et* M^2 | *extant* M P R V. **371** *inmis-* M R | *cassibus* M, *casi-* M^1 P. **373** *set* M, *et* R | *trudentis* M, *-tes* M^2 P, evanuit in V. **374** *rudentis* M, *-tes* M^2, evanuit in V. **376** *specibus* M, *-cubus* M^2, *-ciebus* R | « *specubus :* artis fuerat *specibus*, quia quarta declinatio u in i vertit..., sed quia pinguius sonat et melius, *specubus* dicimus » Serv., « *specubus* falsum est, *specibus* debuit dicere » Pomp. (V p. 195 K). **377** *totasque* M, *que* del. M^2. **379** *ducutt* in *-cunt* corr. P. **380** *firment* M, *-to* M^1 | *adque* R | *uitia* M, *-tea* M^1 | *soruis* P. **381** *yperb-* M, *hyperb-* M^2 | *tironi* M, *trio-* M^1. **382** *efferna* P | *ripaeo* M P, *ripha-* M^1, Serv., *rhipaeo* R, evanuit in V, *rhiphaeo* schol. Ver. (cf. I 240). **383** *fluuiis* M, *fuluis* M^1 | *ue-*

Si tibi lanitium curae, primum aspera silva,
lappaeque tribolique, absint; fuge pabula laeta;
continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
nigra subest udo tantum cui lingua palato,
reice, ne maculis infuscet vellera pullis
nascentum, plenoque alium circumspice campo.
Munere sic niveo lanae, si credere dignum est,
Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit
in nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem.
At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentis
ipse manu salsasque ferat praesaepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis et magis ubera tendunt
et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi etiam excretos prohibent a matribus haedos
primaque ferratis praefigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
nocte premunt; quod iam tenebris et sole cadente,
sub lucem exportant calathis (adit oppida pastor)
aut parco sale contingunt hiemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit postrema, sed una
velocis Spartae catulos acremque Molossum
pasce sero pingui. Numquam custodibus illis

lantur M (ubi ambigas *corpora* accusativus sit an nominativus), Bern. 165. **386** *ullis* M, *uill-* M^{1} | *tege* P. **390** *nascuntur* M, *-centum* M^{2} | *alicm* in *-ium* corr. P | *-splice* P. **391** *crederi* in *-re* corr. P. **392** *daeus* M P, *deus* M^{1}. **394** *ad* R | *am* R, *amor* R^{1}. **395** *ille* P R | *praesep-* M P R, evanuit in V. **397** *lacie* P, *-cte* P^{c}. **398** *iam* M R | *extremos* P. **400** *muisere* M, *muls-* M^{2} | *horris* R. **401** *praemunt* M R, *pre-* M^{2} | *quo* V | *cadentes* R, *cedentem* in *cadentem* corr. M.

III **403-566** M P R. — **403** *parcos* M, *-o* M^{2}. **404** *posttrema set una fueret* M, *fuerit posttrema set una* M^{2} | *set* R.

nocturnum stabulis furem incursusque luporum
aut inpacatos a tergo horrebis Hiberos.
Saepe etiam cursu timidos agitabis onagros
et canibus leporem, canibus venabere dammas;
saepe volutabris pulsos silvestribus apros
latratu turbabis agens montisque per altos
ingentem clamore premes ad retia cervom.
  Disce et odoratam stabulis accendere cedrum
galbaneoque agitare gravis nidore chelydros.
Saepe sub immotis praesaepibus aut mala tactu
vipera delituit caelumque exterrita fugit
aut tecto adsuetus coluber succedere et umbrae
(pestis acerba bovom) pecorique aspergere virus
fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor,
tollentemque minas et sibila colla tumentem
deice: iamque fuga timidum caput abdidit alte,
cum medii nexus extremaeque agmina caudae
solvontur tardosque trahit sinus ultimus orbis.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis
squamea convolvens sublato pectore terga
atque notis longam maculosus grandibus alvom,
qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus et dum
vere madent udo terrae ac pluvialibus austris,
stagna colit ripisque habitans hic piscibus atram

408 *indignatos* M, *inpaca-* M^5. **410** *e* M, *et* M^2. **411** *-tabis* P. **412** *turbaris* P, *terrebis* R | *agros* M | *monitis* P, *-ntes* R. **413** *praemes* R | *ceruum* M R. **414** *disce et*] *disice* P | *caedrum* M. **415** *galbaneos* M, *-o* M^1 | *graues* R, « *gravi* serpentibus scil. noxio » Serv. **416** *ignotis* R | *praesep-* M P R. **418** *succederet* M P, *-re et* M^2. **419** *acerua* M | *bouom*] *-uum* M, *boum* P R | *adsper-* M. **421** *tumntem* P, corr. P^1. **422** *iamque* M, *na-* P, *cumque* M^7 | *altae* R. **423** *agmine* R. **424** *soluunt-* M R | *trahunt* M, *-hit* M^7. **425** *ess* R | *catlabris* P. **426** *sublata* M, *-to* M^2 | *corpore* P. **427** *adque* R | *aluum* M R, *aeuom* P. **429** *et* R. **430** *hic*] *sibi* M.

improbus ingluviem ranisque loquacibus explet;
postquam exusta palus terraeque ardore dehiscunt,
exsulit in siccum et flammantia lumina torquens
saevit agris asperque siti atque exterritus aestu.
Nec mihi tum mollis sub divo carpere somnos
neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas,
cum positis novos exuviis nitidusque iuventa
volvitur aut catulos tectis aut ova relinquens
arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis.
  Morborum quoque te causas et signa docebo.
Turpis ovis temptat scabies, ubi frigidus imber
altius ad vivom persedit et horrida cano
bruma gelu, vel cum tonsis inlutus adhaesit
sudor et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri
perfundunt, udisque aries in gurgite villis
mersatur missusque secundo defluit amni,
aut tonsum tristi contingunt corpus amurca
et spumas miscent argenti vivaque sulpura
Idaeasque pices et pinguis unguine ceras
scillamque elleborosque gravis nigrumque bitumen.

431 *inpro-* P R | *inclu-* P. **433** *extulit* M, *exsilit* R, *exiit* P | *torquent* P. **434** *sinus* M, *siti* M^1 | *exterritus* M, *exerci-* M^1. **435** *nec* M, *ne* M^2 P R, Quintil. (IX 3, 21) | « *nec mihi* nec cuicumque » Serv. V | *tom* P | *molles* M | *dio* P. **437** *nouos*] *-uus* M P R | *exuuis* P. **440** *te*] *et* P. **441** *ubi*] *cum* R. **442** *uiuum* M R. **443** *getu* (?) M, *gelu* M^1 | *inlutus* M P, *inlot-* M^2 et schol. cod. M (Ihm, Rh. Mus. 45, 635) | « *inlotus* lotus vel lautus dicimus » Serv. **444** *hirsutis* M R, *-ti* M^1. **448** *-urga* M. **449** « *vivaque sulpura* dactylicus versus » Serv.; « numqui dactylicus in fine ponitur? potest quidem . . . velut est illud in Georg. *vivaque sulphura*, quem quidam invertentes sic legunt *et sulphura viva* » Victor. (VI p. 212 K); « syllaba longiores (versus) sunt . . . *vivaque sulphura* » Macrob. (Sat. V 14, 4) | *uiuaque sulphura* pauci codd. deteriores, *et sulpura uiua* M P R, Medea (332) (nempe maximae auctoritatis codd. vim passi sunt). **450** *ideas* M R. **451** *scillam* M, *scyl-* M^1 P | *illebo-* R.

Non tamen ulla magis praesens fortuna laborumst,
quam si quis ferro potuit rescindere summum
ulceris os; alitur vitium vivitque tegendo,
dum medicas adhibere manus ad volnera pastor
abnegat aut meliora deos sedet omnia poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
cum furit atque artus depascitur arida febris,
profuit incensos aestus avertere et inter
ima ferire pedis salientem sanguine venam,
Bisaltae quo more solent acerque Gelonus,
cum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum
et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul aut molli succedere saepius umbrae
videris aut summas carpentem ignavius herbas
extremamque sequi aut medio procumbere campo
pascentem et serae solam decedere nocti,
continuo culpam ferro compesce prius quam
dira per incautum serpunt contagia volgus.
  Non tam creber agens hiemem ruit aequore turbo,
quam multae pecudum pestes. Nec singula morbi
corpora corripiunt, sed tota aestiva repente,
spemque gregemque simul cunctamque ab origine gentem.
Tum sciat, aërias Alpis et Norica si quis
castella in tumulis et Iapydis arva Timavi

452 *laborumst* R, *-um est* M P R^5. **453** *summum*] *mmum* in ras. M^1. **455** *uuln-* M R. **456** *et* P | *deo* M, *-os* M^1 | *omina* M, tres Serv. codd. **457** *labsus* M P R. **458** *adque* R. **460** *salen-* M, *salien-* M^1. **461** *gelonos* P. **462** *adque* R, *aut* M. **464** *haud mollis* P. **465** *et* M, *aut* M^2 | *carpentes* M, *-tem* M^1 | *segnius* R. **466** *concumbere* P (perperam ex loco simillimo B. VIII 87 iteratum). **467** *saepe* R, *sere* R^2. **468** *culpam*] anacoluthon | *fero* M, *ferro* M^2. **469** *serpant* M R | *uulgus* M R. **470** *greber* P | *aequora* R. **472** *set* M. **474** *tunc* R | *sciat* videlicet ea quae v. 470-473 dicta sunt: et multas esse pestes et totum gregem corripi | *alpis* M, *-pes* M^2 R | *ut* P. **475** « *et Iapidis a. T.* i. e. Venetiam; nam

nunc quoque post tanto videat desertaque regna
pastorum et longe saltus lateque vacantis.
  Hic quondam morbo caeli miseranda coortast
tempestas totoque autumni incanduit aestu
et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum
corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex, sed, ubi ignea venis
omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
rursus abundabat fluvidus liquor omniaque in se
ossa minutatim morbo conlapsa trahebat.
Saepe in honore deum medio stans hostia ad aram,
lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
inter cunctantis cecidit moribunda ministros,
aut, si quam ferro mactaverat ante sacerdos,
inde neque impositis ardent altaria fibris
nec responsa potest consultus reddere vates,
ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri
summaque ieiuna sanie infuscatur harena.
Hinc laetis vituli volgo moriuntur in herbis
et dulcis animas plena ad praesaepia reddunt,
hinc canibus blandis rabies venit et quatit aegros

Iapydia pars est Venetiae, dicta ab Iapydio oppido...; unde male quidam *Iapygis* legunt, cum Iapygia sit Apulia» Serv. | *lapydis* M, *lapygis* R, *iapygis* P | *arma* M R, *arua* M[7], *ora* P, *iapigis arma* P A C (III p. 287, 216). **477** *longae* R | *latae* P | *uacantes* R, *uocantis* P. **478** *coortast* R, *-aest* P R[5], *cohorta est* M. **481** *corripuit* P | *tabula* R, *pa-* R[3] | *tabo*] hic et v. 557 *tabo* pro *tabe;* in quo si forte peccavit Verg., postea in A. emendavit, ubi *tabe* (VI 442) et *tabo* (III 29, 626, VIII 197, 487, IX 472) vim propriam servant. **482** *set* M | *lignea uentis* M, corr. M[2]. **483** *attraxerat* P | «*adduxerat* pro contraxerat» Serv. V. **484** *fluuidus* M, *flui-* M[7]. **485** *oss* P, *ossa* P[1] | *-tatem* P | *-labsa* M. **486** *onore* P. **487** *niueo* M, *-ea* M[1]. **488** *-tantes* P | *caecidit* M | *magistros* R. **490** *nec* M | *inpos-* P | *firris* in *fibris* corr. P. **492** *-site* P | *tinguuntur* R | *sanguine cultri* in ras. M[1]. **493** *teiuna* P | *sante* M, *-nie* M[1], *-nile* P. **494** *uulgo* M R. **495** *dulces* M R | *anima* M, *-as* M[1] | *-sepia* M P R.

tussis anhela sues ac faucibus angit obessis.
Labitur infelix studiorum atque immemor herbae
victor equos fontisque avertitur et pede terram
crebra ferit; demissae aures; incertus ibidem
sudor et ille quidem morituris frigidus; aret
pellis et ad tactum tractanti dura resistit.
  Haec ante exitium primis dant signa diebus.
Sin in processu coepit crudescere morbus,
tum vero ardentes oculi atque attractus ab alto
spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
ilia singultu tendunt; it naribus ater
sanguis et obsessas fauces premit aspera lingua.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenaeos; ea visa salus morientibus una;
mox erat hoc ipsum exitio, furiisque refecti
ardebant ipsique suos iam morte sub aegra
(di meliora piis erroremque hostibus illum!)
discissos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
concidit et mixtum spumis vomit ore cruorem
extremosque ciet gemitus. It tristis arator
maerentem abiungens fraterna morte iuvencum
atque opere in medio defixa reliquit aratra.

497 *tusis anela* M, corr. M^1 | *obessis* M, *oue-* R, *obesis* M^2, Serv. **498** *adque inm-* R. **499** *equus* R, *equs* M | *fontes* M | *que*] *u* ex corr. P. **500** *demissap* in *-ae* corr. P | *auraes* P. **501** *morituri* M, *-uris* M^2 | *ares* R. **502** *tractante* P, *-ndi* M, *-nti* M^1. **503** *exitum* R, *-ilium* P. **505** *adque adtr-* R. **506** *grauiss* R | *alta* M, *ima* in marg. M^4. **507** *illia* P, *illa* R | *it* R, *et* P R^5. **508** *praemit* R. **509** *insertos* P. **510** *ae* M, *ea* M^2, *fa* P | *saeuos* P. **511** *exit- hoc ipsum* P. **512** *iam*] *in* R. **513** *meliorra* M, *-ora* M^1 | *ardorem* R. **514** *udis* M, *nu-* M^1. **515** *mouere* M, *uome-* M^1. **516** *condidit* R. **517** *it* R, *et* M P R^5, *it* M^1. **518** *monte* M, *morte* M^1. **519** *adque* R | *im* P | *relinquit* M R, *-iquit* M^2 (*it atque reliquit*, cf. 92-94 *effundit, implevit;* schema contrarium saepius invenitur, cf. A. II 129).

Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt
prata movere animum, non qui per saxa volutus
purior electro campum petit amnis; at ima
solvontur latera atque oculos stupor urguet inertis
ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor aut benefacta iuvant? quid vomere terras
invertisse gravis? Atqui non Massica Bacchi
munera, non illis epulae nocuere repostae;
frondibus et victu pascuntur simplicis herbae,
pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu
flumina, nec somnos abrumpit cura salubris.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
quaesitas ad sacra boves Iunonis et uris
imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo aegre rastris terram rimantur et ipsis
unguibus infodiunt fruges montisque per arduos
contenta cervice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias explorat ovilia circum
nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
cura domat; timidi dammae cervique fugaces
nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Iam maris immensi prolem et genus omne natantum
litore in extremo ceu naufraga corpora fluctus
proluit; insolitae fugiunt in flumina phocae.

520 *an* M, *non* M^1. **522** *ad* P. **523** *soluun-* M R | *adque* P R | *urget -tes* M. **524** *at* P | *fluuit* M, *fluit* M^2. **526** *graues* M | *adqui* R. **527** *postae* P. **529** *adque* R. **530** *-ubres* M. **532** *aris* P. **533** *inpar-* M. **534** *ipsi* P. **535** *unguibui* in *-bus* corr. P. | *montes* M R | *arduos* P, *altos* M R (*altos* huc translatum ex v. 412; *arduos* per synizesin, ut *genua* A. V 432, XII 905, *tenuis* G. II 180, de qua vide W. M. Lindsay, Early latin verse, Oxford 1922, p. 59-63; *ardum* seu potius *arduum* in fine versus habet etiam Germanicus 317). **536** *instridentia* P (*in* ex i praepositivo ortum). **537** *insidians* R. **540** *inte* R, *-ter* R^1 | *circum*] *tectum* P. **541** *natantur* P.

Interit et curvis frustra defensa latebris
vipera et attoniti squamis adstantibus hydri.
Ipsis est aër avibus non aequos, et illae
praecipites alta vitam sub nube relinquont.
  Praeterea iam nec mutari pabula refert
quaesitaeque nocent artes; cessere magistri
Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus.
Saevit et in lucem Stygiis emissa tenebris
pallida Tisiphone Morbos agit ante Metumque
inque dies avidum surgens caput altius effert;
balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
arentesque sonant ripae collesque supini.
Iamque catervatim dat stragem atque aggerat ipsis
in stabulis turpi dilapsa cadavera tabo,
donec humo tegere ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coriis usus, nec viscera quisquam
aut undis abolere potest aut vincere flamma;
ne tondere quidem morbo inluvieque peressa
vellera nec telas possunt attingere putris;
verum etiam invisos si quis temptarat amictus,
ardentes papulae atque immundus olentia sudor
membra sequebatur, nec longo deinde moranti
tempore contactos artus sacer ignis edebat.

544 *deprensa* P. **545** *adton-* R | *adst-*] *serpentibus* P. **546** *aequos*] *-uus* M P R | *ille* M, *illae* M². **547** *-nquunt* R, *-nqunt* M. **548** *nec iam* R. **549** *cessare* M, *-sere* M². **550** *phillir-* R, *phyllir-* P | *amych- melamphus* R. **551** *stygis* P. **552** *tesi-* P | *ate* R, *ante* R¹. **555** *horrentes* R | *suplint* P. **556** *dant* P | *adque* R. **557** *delapsa* P | *tabo*] cf. v. 481. **559** *cortisuus* P | *uisacera* M, corr. M². **561** *inluuii* M | *peresa* M R. **562** *putres* M. **563** *quin etiam* R | *-aret* M, *-arat* M². **566** *contractos* P | *acer* R | *egnis* P.

P. Vergili Maronis Georgicon lib. III explicit M, *Vergili Maronis Georgic. liber III explic.* R, *Georgicon lib. III* P.

LIBER QUARTUS

Protinus aërii mellis caelestia dona
exsequar; hanc etiam, Maecenas, aspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum
magnanimosque duces totiusque ordine gentis
mores et studia et populos et proelia dicam.
In tenui labor; at tenuis non gloria, si quem
numina laeva sinunt auditque vocatus Apollo.
  Principio sedes apibus statioque petenda,
quo neque sit ventis aditus (nam pabula venti
ferre domum prohibent) neque oves haedique petulci
floribus insultent aut errans bucula campo
decutiat rorem et surgentis atterat herbas.
Absint et picti squalentia terga lacerti
pinguibus a stabulis meropesque aliaeque volucres
et manibus Procne pectus signata cruentis;
omnia nam late vastant ipsasque volantis
ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.
At liquidi fontes et stagna virentia musco
adsint et tenuis fugiens per gramina rivos,
palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret,

Incipit lib. IIII feliciter M, *Incip. lib. IIII* R, *Georgicon lib. IIII* P.

IV 1-36 M P R. — 2 *exequar* M | *micenas* M. 4 *magnaan-* P. 5 *maiores* M, *mo-* M^2. 7 *audet* P. 9 *uetis* R, *uent-* R^1. 10 *prohibet* P, *-beat* M, *-bent* M^1 | *aedi* R. 11 *au* R, *aut* R^1 | *bocula campi* P. 12 *adterat* R. 14 *ab* M | *maeropes* M, *mer-* M^2. 16 *uolantis* M, *-tes* M^2. 17 *immitti-* P, *inmitti-* M. 18 *ad* R, *a* M, *at* M^1. 19 *riuos* M, *-uus* M^2 R. 20 *atque* P.

ut, cum prima novi ducent examina reges
vere suo ludetque favis emissa iuventus,
vicina invitet decedere ripa calori
obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos;
in medium, seu stabit iners seu profluet umor,
transversas salices et grandia conice saxa,
pontibus ut crebris possint consistere et alas
pandere ad aestivom solem, si forte morantis
sparserit aut praeceps Neptuno immerserit eurus.
Haec circum casiae virides et olentia late
serpulla et graviter spirantis copia thymbrae
floreat, inriguumque bibant violaria fontem.
  Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis
seu lento fuerint alvaria vimine texta,
angustos habeant aditus; nam frigore mella
cogit hiemps eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda; neque illae
nequiquam in tectis certatim tenuia cera
spiramenta linunt fucoque et floribus oras
explent collectumque haec ipsa ad munera gluten
et visco et Phrygiae servant pice lentius Idae.
Saepe etiam effossis, si vera est fama, latebris
sub terra fovere larem penitusque repertae
pumicibusque cavis exessaeque arboris antro.

21 *at* P | *exagm-* M. 22 *suo*] *muo* P | *famis* P | *messa* M, *emissa* M^1. 23 *discedere* R | *catori* P. 24 *teneant* P. 25 *im* P | *proprofluet* R, corr. R^2, *profluit* P. 26 « *conice,* in Ebrii *coice* » schol. Bern. 28 *aestiuum* M R | *-antes* R. 29 *inmer-* M P R. 30 *latae* M, *-te* M^1. 31 *sepylla* R, *serp-* R^1. 34 *uento* M, *le-* M^1 | *aluaria* M, *aluea-* M^2. 35 *aditos* M, *-tus* M^1. 36 *iquef-* R.

IV 37-96 M P. — 37 *ille* M, *illae* M^1, *pallae* P. 38 *nequicq-* M, *nequiq-* M^2. 39 *horas* P. 40 *expient* M. 41 *tentius* P. 43 *fouere*] etiam Bern. 165, *fodiere* M, *fode-* M^2 | *paenitus* M, *pen-* M^2. 44 *exesae* M^1 R, *exeae* M.

Tu tamen et levi rimosa cubilia limo
ungue fovens circum et raras superinice frondes.
Neu propius tectis taxum sine neve rubentis
ure foco cancros, altae neu crede paludi
aut ubi odor caeni gravis aut ubi concava pulsu
saxa sonant vocisque offensa resultat imago.
  Quod superest, ubi pulsam hiemem sol aureus egit
sub terras caelumque aestiva luce reclusit,
illae continuo saltus silvasque peragrant
purpureosque metunt flores et flumina libant
summa leves. Hinc nescio qua dulcedine laetae
progeniem nidosque fovent, hinc arte recentis
excudunt ceras et mella tenacia fingunt.
Hinc, ubi iam emissum caveis ad sidera caeli
nare per aestatem liquidam suspexeris agmen
obscuramque trahi vento mirabere nubem,
contemplator: aquas dulcis et frondea semper
tecta petunt. Huc tu iussos asperge sapores,
trita melisphylla et cerinthae ignobile gramen
tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum;
ipsae consident medicatis sedibus, ipsae
intuma more suo sese in cunabula condent.
  Sin autem ad pugnam exierint — nam saepe duobus
regibus incessit magno discordia motu;
continuoque animos volgi et trepidantia bello

45 « *e levi :* alii *et levi* legunt » Serv. | *rimo* M, *li-* M^1. **46** *super-*] *et pernice* P. **47** *proprius* M. **48** *canoros* P | *alte* M, *-tae* M^2. **49** *conchaua* M. **52** *terra* M, *-as* M^2. **53** *saltum* P. **56** *progniem* P | *recentis* M, *-tes* M^2. **57** *exclud-* P. **58** « *hinc* pro *dehinc* » Serv. V, *hic* P. **60** *trahit* P. **61** *dulces* M. **62** *tu huc* M, *huc tu* M^2 | *tussos* Ribbeck, quod non displicet; cf. v. 67 *tunsum saporem* | *sopores* P. **63** *mellisph-* M | *carmen* P. **65** *ipse* M, *-sae* M^1 | *-cantis* M, *-catis* M^1. **66** *intima* M. **67** *nam*] anacoluthon. **69** *uulgi* M P | *et*] *tet* P.

corda licet longe praesciscere: namque morantis
Martius ille aeris rauci canor increpat et vox
auditur fractos sonitus imitata tubarum;
tum trepidae inter se coeunt pinnisque coruscant
spiculaque exacuunt rostris aptantque lacertos
et circa regem atque ipsa ad praetoria densae
miscentur magnisque vocant clamoribus hostem:
ergo, ubi ver nanctae sudum camposque patentis,
erumpunt portis; concurritur, aethere in alto
fit sonitus, magnum mixtae glomerantur in orbem
praecipitesque cadunt; non densior aëre grando
nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies insignibus alis
ingentis animos angusto in pectore versant
usque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos
aut hos versa fuga victor dare terga subegit.
Hi motus animorum atque haec certamina tanta
pulveris exigui iactu compressa quiescunt.
Verum ubi ductores acie revocaveris ambo,
deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
dede neci; melior vacua sine regnet in aula.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens;
nam duo sunt genera; hic melior, insignis et ore
et rutilis clarus squamis; ille horridus alter
desidia latamque trahens inglorius alvom.

71 *aries* P. **72** *fractus* P. **73** *dum* P. **75** *atque*] *qtque* P. **77** *nactae* M, « *nactae :* in Ebrii *nanctae* » schol. Bern. **78** *irump-* P | *alto* disting. M^2. **79** *magno* M, *-num* M^2. **84** *credere* P. **86** *tantum* M, *-nta* M^2. **87** *iacto* P | *quiescent* P, « in Corneliani *quiescunt*, non *-cent* » schol. Bern. **88** *ambos* P, « *ambos :* legitur et *ambo* » Serv. V ; « *ambos : ambo* iuxta Ebrium » schol. Bern. **89** *obseet* M, *-sit* M^2. **92** *sunt*]*n* in ras. M^1 | *ahicmelior -ore*] lineamenta huius scripturae evanida suis litteris renovavit P^4 | *melior* M, *-rque* M^7. **93** *rutulis* P | *squamus* P. **94** *aluum* M.

Ut binae regum facies, ita corpora plebis.
Namque aliae turpis horrent, ceu pulvere ab alto
quom venit et sicco terram spuit ore viator
aridus; elucent aliae et fulgore coruscant
ardentes auro et paribus lita corpora guttis.
Haec potior suboles, hinc caeli tempore certo
dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum
et liquida et durum Bacchi domitura saporem.
At quom incerta volant caeloque examina ludunt
contemnuntque favos et frigida tecta relinquont,
instabilis animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor: tu regibus alas
eripe; non illis quisquam cunctantibus altum
ire iter aut castris audebit vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti,
et custos furum atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Ipse thymum tinosque ferens de montibus altis
tecta serat late circum, quoi talia curae;
ipse labore manum duro terat, ipse feracis
figat humo plantas et amicos inriget imbris.
At que equidem, extremo ni iam sub fine laborum

95 *bina* P. **96** *turpis* (nomin. plur.)] *-pes* P.

IV **97-124** F M P. — **97** *cum* M P. **99** *illa* F, *lita* F^1. **101** *praemes* F M^1, *prem-* F^1, *praemens* M. **103** *atquom*] *aequum* F, *atq-* F^1, *at cum* M, *aut cum* P (*quum* F praeterea v. 524, A. II 680, III 51) | *exagm-* M, *exam-* M^2. **104** *-tempnunt* F | *-inqunt* P, *-incunt* M. **105** *instabulis* M, *-bilis* M^1 | *inane* F, *-ani* F^2 P^1, *inant* P. **108** *uellere*] *e* extr. ex corr. F^1. **110** *custus* F, *-tos* F^1 | *frugum* M, *furum* M^2 | *cum*] *iam* P. **112** *thumum* F, *thym-* F^1 | *tinos* M, *pi-* F M^2 | « legitur et *tinos;* est autem laurus silvestris caerulea baca » Serv. V (Ovid. Met. X 98 *bacis caerula tinus*). **113** *serae* F, *-at* F^1 | *circum late* P | *cui* M P. **114** *laborem animum* M, corr. M^2 | *dura* P | « *tenaces,* alii *feraces* » schol. Bern. **115** *igat* P | *inret* F, *-riget* F^1 | *imbres* F. **116** *extramontem* M, *extremo ni iam* M^2.

vela traham et terris festinem advertere proram,
forsitan et, pinguis hortos quae cura colendi
ornaret, canerem biferique rosaria Paesti
quoque modo potis gauderent intiba rivis
et viridis apio ripae tortusque per herbam
cresceret in ventrem cucumis; nec sera comantem
narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi
pallentisque hederas et amantis litora myrtos.
Namque sub Oebaliae memini me turribus arcis,
qua niger umectat flaventia culta Galaesus,
Corycium vidisse senem, cui pauca relicti
iugera ruris erant, nec fertilis illa iuvencis
nec pecori opportuna seges nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis holus albaque circum
lilia verbenasque premens vescumque papaver
regum aequabat opes animis seraque revertens
nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis.
Primus vere rosam atque autumno carpere poma
et, cum tristis hiemps etiamnum frigore saxa
rumperet et glacie cursus frenaret aquarum,
ille coman mollis iam tondebat hyacinthi
aestatem increpitans seram zephyrosque morantis.
Ergo apibus fetis idem atque examine multo

117 *prora* in *-am* corr. F. **119** *ornarem* M, *-et* M^1 | *pesti* F, *basti* M, *paes-* M^2. **120** *potes* F, *-tis* F^1 | « *intiba* in Ebrii, *intuba* in Corneliani » schol. Bern. | « alii *riuis,* alii *fibris* » ib. **121** *uiridis* (nomin. plur.) M, *-des* M^1 | *repae* P. **122** *comante* F, *-em* F^1. **123** *flexit cauissem* M, corr. M^1 | *tacuisse* F, *-em* F^1. **124** *que* om. F | *heras* P, *heder-* P^5 | *litore* P, *-ra* P^5.

IV 125-152 M P. — 125 *oeballiae* M, *-aliae* M^2 | « Oebaliam a r c e m Tarentinam dixit » Serv. V, *autis* M, *alt-* M^2. **126** *-uenita* P. **128** *iuris* M. **129** *sedes* P. **131** *illia* P. **132** « *sera :* in Ebrii *seram* » schol. Bern. **133** *inemtis* M. **135** *etiannum* P. **136** *rumperit* P. **137** *iamtum* P | *hyacinthi* M, *achanti* M^7. **139** *atque*] *que* P.

primus abundare et spumantia cogere pressis
mella favis; illi tiliae atque uberrima pinus,
quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos
eduramque pirum et spinos iam pruna ferentis
iamque ministrantem platanum potantibus umbras.
Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis
praetereo atque aliis post me memoranda relinquo.
  Nunc age, naturas apibus quas Iuppiter ipse
addidit, expediam, pro qua mercede canoros
Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae
Dictaeo caeli regem pavere sub antro.
Solae communis natos, consortia tecta
urbis habent, magnis agitant sub legibus aevom
et patriam solae et certos novere penatis
venturaeque hiemis memores aestate laborem
experiuntur et in medium quaesita reponunt.
Namque aliae victu invigilant et foedere pacto
exercentur agris; pars intra saepta domorum
narcissi lacrimam et lentum de cortice gluten
prima favis ponunt fundamina, deinde tenacis

141 *illic* P, « *illic* vel *illi* idest Corycio » schol. Bern. | *tiliae*] Serv., *teilae* P, *tilia* M | *pinus*] etiam Serv., *tinus* M, *pi-* M^2 | « ipsius manu duplex fuit scriptura, *pinus* et *tinus* » Serv. V. **142** *quod* P. **143** *mature* M, *-ra* M^1. **144** *in uersum*] etiam Bern. 165, *inuentum* P. **145** *eduram*] etiam Ansil. (ED 98), *etduram* P | *pinum* M, *pirum* M^2 | *spinus* P. **146** *portant-* P. **147** *ipsa* M, *-se* M^2. **148** *me* om. M P. **150** *pro qua mercede* i. e. pro eius rei mercede quod. **151** *aere* P.

IV 153-174 F M P. — **153** *solat* F, *-ae* F^1 | *-munes* M | *lato* M, *natos* M^2. **154** *magnis*] triplex magnae gravitatis asyndeton, *magnisque* M (alia asyndeta perperam M delevit A. III 93, XII 930; cf. G. IV 188 *mussantque* M R) | *aeuum* M. **155** *at pa-* F, *et pa-* F^1 | *-nates* F M. **156** totus hic v. in ras. F | *hiemes* M, *-mis* M^2. **157** *im* P | *reponit* F, *-nunt* F^1. **158** *foere* F, corr. F^1. **161** *tenaces* M.

suspendunt ceras; aliae spem gentis adultos
educunt fetus; aliae purissima mella
stipant et liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti
inque vicem speculantur aquas et nubila caeli
aut onera accipiunt venientum aut agmine facto
ignavom fucos pecus a praesaepibus arcent;
fervit opus redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis
cum properant, alii taurinis follibus auras
accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt
aera lacu; gemit impositis incudibus Aetna;
illi inter sese magna vi bracchia tollunt
in numerum versantque tenaci forcipe ferrum:
non aliter, si parva licet componere magnis,
Cecropias innatus apes amor urguet habendi
munere quamque suo. Grandaevis oppida curae
et munire favos et daedala fingere tecta;
at fessae multa referunt se nocte minores
crura thymo plenae; pascuntur et arbuta passim
et glaucas salices casiamque crocumque rubentem
et pinguem tiliam et ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus:

163 *durissima* M, *pu-* M[1] (cf. A. I 669 *poluisti* M, *dol-* M[2]). **164** *aliquido* F, *li-* F[1] | *gellas* P. **165** *caecidit* F M, *cec-* F[1]. **168** *ignauum* F M | *praesep-* F M P. **169** *feruit* F, *-uet* F[1] M P | « *feruit opus* iuxta declinationem saepe dictam fervo fervis fervit » Serv., « *fervet :* in Ebrii *fervit* » schol. Bern. | *pus red- mella* in ras. F[1] | *hymo* P | *fraglantia* F[1] M, *flagran-* P. **170** *lente* P, *-ti* F, *-tis* F[1]. **171** *aliti* F, *alii* F[1], *ali* P. **172** *ali* P. **173** *inpos-* F M P | *aetna*] *antrum* F P (ex A. VIII 451 ; poeta variat, librarii iterant). **174** *illis* F, *-li* F[1] | *esse* F, *sese* F[1].

IV **175-180** M P. — **175** « *forcipe* in Ebrii et *forfice* in Corneliani » schol. Bern. **176** *non alicet* P. **177** *urget* M. **178** *-deuis* M. **179** *munere* M, *-nire* M[1]. **180** *ad* P.

IV **181-344** M P R. — **183** *pingem* P | *tiliana* M, corr. M[2]. **184** *quna* M, *una* M[1].

mane ruunt portis; nusquam mora; rursus easdem
vesper ubi e pastu tandem decedere campis
admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;
fit sonitus, mussant oras et limina circum.
Post, ubi iam thalamis se composuere, siletur
in noctem fessosque sopor suus occupat artus.
Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt
longius aut credunt caelo adventantibus euris,
sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur
excursusque brevis temptant et saepe lapillos,
ut cumbae instabiles fluctu iactante saburram,
tollunt, his sese per inania nubila librant.
  Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
quod neque concubitu indulgent nec corpora segnis
in Venerem solvont aut fetus nixibus edunt,
verum ipsae e foliis natos, e suavibus herbis
ore legunt, ipsae regem parvosque Quirites
sufficiunt aulasque et cerea regna refigunt.
  Saepe etiam duris errando in cotibus alas
  attrivere ultroque animam sub fasce dedere:
  tantus amor florum et generandi gloria mellis.

185 *numquam* P. **186** *uespere* P | *decededre* M, *-dere* M^1. **187** *tunc cor-* M P. **188** *mussantque* M R (cf. v. 154). **190** *suos* R | *artuus* P. **191** *inpen-* M P R | *recludunt* M, *reced-* M^1. **192** *aduentantilus* R, *-ibus* R^2. **193** *totae* P | *moebibus* in *moeni-* corr. P | *aequantur* M, *aq-* M^2. **194** *excussus* M, corr. M^2 | *temptant* M, *tentant* M^7. **195** *cumbe* M, *-bae* M^2, *cymbae* M^7 | *stabiles* M, *inst-* M^2 | *flatu* P | *suburram* M, *sab-* M^1. **196** *hi* M P, *his* M^2. **198** *dec* M, *nec* M^2 | *indulgens* M, *-ent* M^2 | *copora* R | *segnis* (nomin. plur.)] *regnis* P, *segnes* R. **199** *soluont*] *-uunt* M P R | *nixibus* M, *nexi-* M^1 R, *necsibus* in *nics-* corr. P (duplex in exemplo lectio) | « *nixibus* partubus » Serv., « *nixibus* a nitendo » Serv. V. **200** *ipse e* M, *ipsae* P, *ipsae e* M^2 | *sed suauib-* R. **201** *pabulum* M, *paruos* M^2. **202** *auias* M, *aulas* M^2 | *refingunt* R, *reling-* P | « *refigunt* figunt » Serv., « *refigunt* i. e. sufficiunt » Serv. V. **203-205** hos v. tres Vergilius secundis curis supplevit. **204** *attriuerere* M, *-uere* M^1 | *suffasce* P.

Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi
excipiat (neque enim plus septima ducitur aestas),
at genus immortale manet multosque per annos
stat fortuna domus et avi numerantur avorum.
Praeterea regem non sic Aegyptos et ingens
Lydia nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes
observant. Rege incolumi mens omnibus una est;
amisso rupere fidem constructaque mella
diripuere ipsae et cratis solvere favorum.
Ille operum custos, illum admirantur et omnes
circumstant fremitu denso stipantque frequentes
et saepe attollunt umeris et corpora bello
obiectant pulchramque petunt per volnera mortem.
His quidam signis atque haec exempla secuti
esse apibus partem divinae mentis et haustus
aetherios dixere; deum namque ire per omnia,
terrasque tractusque maris caelumque profundum;
hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas;
scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
omnia, nec morti esse locum, sed viva volare
sideris in numerum atque alto succedere caelo.
Si quando sedem augustam servataque mella

206 *angus* P | *aeuis* P. **207** *excipiam* M, *-at* M^2 | *pius saeptima* M, corr. M^7. **208** *et* R | *inmort-* M. **209** *sta* M, *-at* M^2. **210** *praeter* M, *-terea* M^2 | *aegyptios* P, *-tus* R. **211** *ludia* R | *partorum* R, corr. R^1 | *et metus* M, *aut medus* M^2. **212** *regi* M, *-ge* M^1. **214** *cratis* M, *-tes* M^2 P R | *fauorem* M, *-rum* M^1. **215** *ille admiratur* M, corr. M^2. **216** *fremitus* P | *denso*] *e* ex corr. P. **217** *pectora* P. **218** *uulnera* M R. **219** *exsempla* P. **220** *patrem* P. **221** *omnia*] « *per omnia deum ire* ipsi adserunt » Ambros. (de off. I 13), *omnis* M P R. **222** *terrasque* M, *-arum* M^7. **223** *hic* R | *gentus* P. **224** *sibi* add. R^1 | *tenues* M | *accersere* R. **225** *referre* M, *-rri* M^1. **227** *succ-*] *se condere* R. **228** *augusta* M, *-tam* M^2, *angustam* R.

thensauris relines, prius haustu sparsus aquarum
ora fove fumosque manu praetende sequacis.
Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis:
Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias et Oceani spretos pede reppulit amnis,
aut eadem sidus fugiens ubi piscis aquosi
tristior hibernas caelo descendit in undas.
  Illis ira modum supra est, laesaeque venenum
  morsibus inspirant et spicula caeca relinquont
  adfixae venis animasque in volnera ponunt.
Sin duram metues hiemem parcesque futuro
contusosque animos et res miserabere fractas,
at suffire thymo cerasque recidere inanis
quis dubitet? nam saepe favos ignotus adedit
stelio, et lucifugis congesta cubilia blattis,
immunisque sedens aliena ad pabula fucus
aut asper crabro imparibus se immiscuit armis
aut dirum tiniae genus, aut invisa Minervae
laxos in foribus suspendit aranea cassis.
Quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes

229 *thensauri* P, *thesauris* M, Serv. | *retines* P | *haustus* P, *astu* M, *haustu* M^1. **230** *ora foue* (cf. II 135)] id perspicue declarat Columella (IX 14, 3) | *ore foue* R, *ore faue* M P, *ora foue* M^2, Serv. codd. A H in lemmate | « *ore fove* ipsos haustus scil. et hoc dicit: spargendo aquam imitare pluviam ...; alii *ore fave* legunt, ut sit tace » Serv., « *ore fave* cum religione ac silentio accede » Serv. V | *manu*] *sinu* P | *sequaces* R. **231** *fetus*] etiam Serv., *flores* P | « *flores* emendatum fuit; et bene *gravidos flores*, quod ex his omnia generant » Serv. V (scil. *flores* coniectura est). **232** *taugete* P R. **233** *pleias* R, *pleas* P. **236-238** hi v. tres secundis curis additi sunt. **237** *relinquunt* R, *-ncunt* M. **238** *uulnera* R, Medea (232), *uolnere* P, *uulnere* M. **239** *metuens* R. **241** *suffire*] Serv,. *suffere* P, *sufferre* M R | *thumos* M, *thymo* M^2, *fauos thymo* P (nempe *fauos* glossa fuit) | *inanes* M. **242** *iam* P | *adhaesit* R. **243** *stello* M, *-elio* M^1, *-ellio* P, « *stilio* : et *stello* dicitur » Ansil. (ST 165). **244** *sidens* P | *pocula* M, *pabu-* M^2. **245** *crabro* M, *sca-* M^2 | *inpar-* M P R | *inmis-* M R. **246** *mineruiae* in *-uae* corr. M. **247** *casses* M R. **248** *fuerit* in *-rint* corr. P, *fuerunt* M, *-rint* M^1.

incumbent generis lapsi sarcire ruinas
complebuntque foros et floribus horrea texent.
  Si vero, quoniam casus apibus quoque nostros
vita tulit, tristi languebunt corpora morbo —
quod iam non dubiis poteris cognoscere signis:
continuo est aegris alius color; horrida voltum
deformat macies; tum corpora luce carentum
exportant tectis et tristia funera ducunt;
aut illae pedibus conexae ad limina pendent
aut intus clausis cunctantur in aedibus, omnes
ignavaeque fame et contracto frigore pigrae;
tum sonus auditur gravior tractimque susurrant,
frigidus ut quondam silvis immurmurat auster,
ut mare sollicitum stridit refluentibus undis,
aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis:
hic iam galbaneos suadebo incendere odores
mellaque harundineis inferre canalibus, ultro
hortantem et fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunsum gallae admiscere saporem
arentisque rosas aut igni pinguia multo
defruta vel psithia passos de vite racemos
Cecropiumque thymum et grave olentia centaurea.
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
fecere agricolae, facilis quaerentibus herba;

249 *labsi* P. **250** *complerunt* M | *texint* P. **251-264** parum vinctam laxioremque huius ambitus structuram cf. cum v. 67-77. **251** *nostris* R. **254** *aegris color horridus alia uultum* M, *aegris alius color horrida alia uultum* M^1 | *uultum* R. **255** *luge* in *luce* corr. P | *carentem* M, *-tum* M^1. **257** *pedent* R, *pend-* R^1. **259** *ignaua* P R | *famae* M R. **260** *tunc* P | *sonitus* M, *-nus* M^1 | *fractim* M, *tr-* M^1. **262** *mares* R, *ma* P | *stridet* R. **263** *ingens* M, *ignis* M^1. **264** *hic* M, *hinc* M^2 | *calb-* R. **265** *arundineis* R, *ha-* R^1, *harundinibus* P. **266** *fessis* M, *-ssas* M^1 | *at* M, *ad* M^2. **267** *tusum* M, *tuns-* M^2. **268** *pingula* M, *-uia* M^1. **269** *psithaec* R, *psitiae* M, *-thiae* M^2. **271** *st* P | *cul* P | *nomin* M, *-men* M^2 | *amillo* P.

namque uno ingentem tollit de caespite silvam
aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum
funduntur, violae sublucet purpura nigrae;
saepe deum nexis ornatae torquibus arae;
asper in ore sapor; tonsis in vallibus illum
pastores et curva legunt prope flumina Mellae:
huius odorato radices incoque Baccho
pabulaque in foribus plenis appone canistris.
Sed si quem proles subito defecerit omnis
nec, genus unde novae stirpis revocetur, habebit,
tempus et Arcadii memoranda inventa magistri
pandere quoque modo caesis iam saepe iuvencis
insincerus apes tulerit cruor. Altius omnem
expediam prima repetens ab origine famam.
Nam, qua Pellaei gens fortunata Canopi
accolit effuso stagnantem flumine Nilum
et circum pictis vehitur sua rura phaselis
quaque pharetratae vicinia Persidis urguet
292 et diversa ruens septem discurrit in ora
291 et viridem Aegyptum nigra fecundat harena
293 usque coloratis amnis devexus ab Indis,
omnis in hac certam regio iacit arte salutem.
Exiguus primum atque ipsos contractus in usus

273 *cespite* R. 274 *ipse -in*] *ipsedine* P. 275 *subluce* M, *-et* M^{7}. 276 *saepe*] *sae* P. 278 *prope*] *per* R | *mellae*] etiam Serv., *millae* M P, *amellae* M^{2}. 280 *plenus* P | *adpone* M P, *exp-* R. 282 *habebis* P, *-enis* R. 287 *pellei* M. 288 *accollit* M | *spainantem* in *stagna-* corr. M. 289 *uehetur* M, *-hitur* M^{1}. 290 *pharetra* M, corr. M^{1} | *urget* M. | 292 . 291 . 293 M, 291 . 292 . 293 P, 292 . 293 . 291 R (hi v. tres secundis curis additi sunt; geminum *et* causa turbati ordinis fuit). 292 *hora* M, *ora* M^{7}. 291 *fecundut* P. 293 *utque* P | *colortis* R, *-ratis* R^{3} | *amnis*] *manis* P (item III 2 *manes* P pro *amnes*). 294 *omnibus* M, *-is* M^{1} | *hanc* R | *certe* M, *-tam* M^{1} | *iacit* M, Serv., *iacet* M^{2} P R | « *iacit* pro habet » Serv. V. 295 *adque* R | *ipsos* add. M^{1} | *in* M, *ad* M^{2} R.

eligitur locus; hunc angustique imbrice tecti
parietibusque premunt artis et quattuor addunt
quattuor a ventis obliqua luce fenestras.
Tum vitulus bima curvans iam cornua fronte
quaeritur; huic geminae nares et spiritus oris
multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto
tunsa per integram solvontur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquont et ramea costis
subiciunt fragmenta, thymum casiasque recentis.
Hoc geritur zephyris primum impellentibus undas,
ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus umor
aestuat, et visenda modis animalia miris,
trunca pedum primo, mox et stridentia pinnis,
miscentur tenuemque magis magis aëra carpunt,
donec ut aestivis effusus nubibus imber
erupere aut ut nervo pulsante sagittae,
prima leves ineunt si quando proelia Parthi.
Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
unde nova ingressus hominum experientia cepit?
Pastor Aristaeus fugiens Peneia Tempe
amissis, ut fama, apibus morboque fameque

296 *argusti* in *ang-* corr. M. **297** *artes* R. **299** *uima* M, *bi-* M^1. **301** *opsuitur* M, « *obsuitur* . . ., alii *obstruitur* » schol. Bern. | *obstruitur* P R^1, *obstri-* R. **302** *soluuntur* M R | *paellem* M, *pell-* M^2. **303** *linquont*] *-quunt* M P, *-qunt* R | *tramea* R. **304** *iecentis* in *rec-* corr. P. **305** *inpell-* P R. **306** *nouii* in *-uis* corr. P | *et ante* M R, *ante* M^2. **307** *lignis* P. **311** *tenue* P | *magis ac magis* M R, *ac* del. M^7 | *captant* R. **313** *erumpere* M, *erup-* M^7, *eripuere* R. **315** « sane sciendum ultimam partem huius libri esse mutatam; nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei continet fabulam, quae inserta est postquam irato Augusto Gallus occisus est » Serv. (G. IV 1). **318** *pibus* R, *ap-* R^4 | *famae* M, *-me* M^2.

tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis
multa querens atque hac adfatus voce parentem:
« Mater, Cyrene mater, quae gurgitis huius
ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum
(si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo)
invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
pulsus amor? quid me caelum sperare iubebas?
En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem,
quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
omnia temptanti extuderat, te matre relinquo.
Quin age et ipsa manu felicis erue silvas,
fer stabulis inimicum ignem atque interfice messis,
ure sata et duram in vitis molire bipennem,
tanta meae si te ceperunt taedia laudis ».
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
sensit. Eam circum Milesia vellera nymphae
carpebant hyali saturo fucata colore,
Drumoque Xanthoque Ligeaque Phyllodoceque
caesariem effusae nitidam per candida colla,
[Nesaee Spioque Thaliaque Cymodoceque]
Cydippe et flava Lycorias, altera virgo,
altera tum primos Lucinae experta labores,
Clioque et Beroë soror, Oceanitides ambae,
ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae,

319 *sacrum*] *s, c* in ras. R, *placitum* in *-idum* corr. M. **320** *quaerens* M R, *que-* M[1] | *adque* R. **322** *ima*] *iam* P R | *tenens* P | *a stirpe* R. **323** *est*] *s* M, *es* M[1]. **326** *initiam* P. **327** *pecorum* P R, Bern. 165. **328** *exstud-* R. **329** *ipse* P | *felices* M R. **330** *messes* M, *meses* R. **331** *ure*] *uae* P | *duramm* M, *ualidam* M[2] P R | *uites* R | *bipinnem* M R. **332** *lauris* P. **334** *sentit* R | *uerbera* M, *uelle-* M[1]. **335** *hyalis* P, *thyali* R | *satyro* P R | *fugata* in *fuca-* corr. P. **336** *drymo* P R | *legeat* R, *legea* M P, *lig-* M[2]. **338** hunc v. ex A. V 826 huc transtulerunt pauci codd. deter., om. M P R. **339** *cydippe*] hiatus, *cydippeque* R | *lycoris alterna* R. **340** *lycinae* P. **341** *cli* R, *celo* P.

atque Ephyre atque Opis et Asia Deiopea
et tandem positis velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Volcani Martisque dolos et dulcia furta
aque Chao densos divom numerabat amores.
Carmine quo captae fusis dum mollia pensa
devolvont, iterum maternas impulit auris
luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes
obstipuere; sed ante alias Arethusa sorores
prospiciens summa flavom caput extulit unda
et procul: « O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura,
tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam
stat lacrimans et te crudelem nomine dicit ».
  Huic percussa nova mentem formidine mater
« Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divom
tangere » ait; simul alta iubet discedere late
flumina, qua iuvenis gressus inferret. At illum
curvata in montis faciem circumstetit unda
accepitque sinu vasto misitque sub amnem.
Iamque domum mirans genetricis et umida regna
speluncisque lacus clausos lucosque sonantis

343 *ephyre*] hiatus, *epyre* P, *ephyra* M | *deiopaea* R. **344** *at* M, *et* M^{2}.
IV **345-420** G M P R. — **346** *uulcani* M | *matris* P | *doloss* R, *-los* R^{3} | « *Martisque*, secundum Donatum hic distinguendum est, ut *dolos* ad Vulcanum, *furta dulcia* idest adulterium referamus ad Martem » Serv., « quidam distinguunt *Vulcani curam inanem* » schol. Bern. **347** *aque* γ, *atque* M P R, *adque* G | *cha* R, *-ao* R^{1} | « *aque chao* et a Chao narrabat crebros amores deorum » Serv. | *densos diuum* G M R, *densadsiduom* P | *amoris* (?) G. **348** *carimine* P | *dum fusis* P R, *dum fusi* G. **349** *deuoluont*] *-luunt* G M P R | *inpulit* G | *aures* M P R. **350** *aristei* M | *uittreis* P | *amnes* M, *omn-* M^{1}. **351** *opstip-* M. **352** *flauum* G M R. **354** *cuba* P. **355** *gnitoris* P. **357** *huc* M, *huic* M^{1}. **358** *diuum* G R. **359** *latae* M, *-te* M^{2}. **360** *inferre* P | *ad* G. **361** *im* P | *speciem* M | *circumstitit* G, *-spicit* P. **362** *miset* P. **363** *genetrix* R. **364-401** hi v. evanuerunt in G.

ibat et ingenti motu stupefactus aquarum
omnia sub magna labentia flumina terra
spectabat diversa locis, Phasimque Lycumque
et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,
unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta
  saxosusque sonans Hypanis Mysusque Caicus
et gemina auratus taurino cornua voltu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
in mare purpureum violentior effluit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
perventum et nati fletus cognovit inanis
Cyrene, manibus liquidos dant ordine fontis
germanae tonsisque ferunt mantelia villis;
pars epulis onerant mensas et plena reponunt
pocula; Panchaeis adolescunt ignibus arae.
Et mater « Cape Maeonii carchesia Bacchi;
Oceano libemus ! » ait; simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum nymphasque sorores,
centum quae silvas, centum quae flumina servant.
Ter liquido ardentem perfundit nectare Vestam,
ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.
Omine quo firmans animum sic incipit ipsa:
  « Est in Carpathio Neptuni gurgite vates

365 *motus* M, *-u* M^2. **368** *primus* M | *rumpit* R, *rup-* P | *enipheus* R. **369** *anina* M, *-iena* M^1, *alena* P. **370** « *saxosusque sonans,* non ut duo intellegendum, saxosus et sonans, sed ob saxa sonans » Serv. V; « *saxosum* legendum, non *saxosus,* ne sint duo epitheta » Serv. | *chaicus* M. **371** *corpore* M, *cornua* M^2 | *uultu* M R, *uoltus* P. **372** *pingiua* M. **373** *im* P | « *effluit:* legitur et *influit* » Serv. V. **375** *et* add. M^2 | *naii* P | *fetus* M, *fle-* M^1. **376** *libidos* M, *liqui-* M^1 | *fontes* R. **377** *germane* M, *-nae* M^1. **378** *mensas*] *aras* P. **379** *pancaeis* M | *ignibus* M, *pinguibus* M^2. **381** *praecatur* R. **383** *siluas et* R. **384** *perfundit* M, *-udit* M^2, Serv. (at cf. III 92 *effundit*). **385** *flammam* M | *tectis* M | *sublata* M, *-biecta* M^2. **386** *firm* M, *-mans* M^1. **387** *carphatio* M, *-halio* P, *-patho* R, *-pathii* Prob. | *nepluni* P.

caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
et iuncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit
Pallenen; hunc et nymphae veneramur et ipse
grandaevos Nereus; novit namque omnia vates,
quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur;
quippe ita Neptuno visum est, immania cuius
armenta et turpis pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
expediat morbi causam eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum
orando flectes; vim duram et vincula capto
tende; doli circum haec demum franguntur inanes.
Ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus,
cum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est,
in secreta senis ducam, quo fessus ab undis
se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem.
Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,
tum variae eludent species atque ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus atraque tigris
squamosusque draco et fulva cervice leaena
aut acrem flammae sonitum dabit atque ita vinclis
excidet aut in aquas tenuis dilapsus abibit.
Sed quanto ille magis formas se vertet in omnis,

388 *protaeus* M, *-teus* M^2. **389** *aequorum* M, *eq-* M^2. **391** *pellenen* M, *pall-* M^1 | *hunc et*] *et* om. R | *ipsi* M. **392** *grandaeuos*] *-daeuus* M, *-daeus* P, *-deuus* R | *nereus* add. R^1. **393** *trahentur* M, *-hantur* M^2. **396** *cap- uinclis* R | *amnem* M, *om-* M^1. **397** *-diant* R | *morbe* P. **398** *ii* in *ui* corr. P. **399** *flectens* M, *-tes* M^1 | *uin* P. **400** *dolis* R | *hac* R | *-gentur* M. **401** *-deret* P. **406** *ludent* R, *inludunt* Serv. V | *adque* G. **407** *flet* P | *suus* M P R, *sus* M^2. **408** *laena* P, *leaenae* R. **409** *son- flammae* M | *adque* G. **410** *dilabsus* P, *elabsus* G | *habebit* M R, *habib-* R, *abibit* M^2. **411** *set* M | *uertit* P | *omnes* in *-nis* corr. R.

tam tu, nate, magis contende tenacia vincla,
donec talis erit mutato corpore, qualem
videris, incepto tegeret cum lumina somno ».
Haec ait et liquidum ambrosiae defundit odorem,
quo totum nati corpus perduxit: at illi
dulcis compositis spiravit crinibus aura
atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
exessi latere in montis, quo plurima vento
cogitur inque sinus scindit sese unda reductos,
deprensis olim statio tutissima nautis;
intus se vasti Proteus tegit obice saxi.
Hic iuvenem in latebris aversum a lumine nympha
collocat; ipsa procul nebulis obscura resistit.
Iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
ardebat caelo et medium sol igneus orbem
hausserat; arebant herbae, et cava flumina siccis
faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
ibat; eum vasti circum gens umida ponti
exsultans rorem late dispergit amarum.
Sternunt se somno diversae in litore phocae;
ipse, velut stabuli custos in montibus olim,

412 *tam tu*] *tantu* M P, *tanto* M^2 R, evanuit in G | « *tanto nate magis :* alii legunt *tantum* (*tantu*) *nate magis* » Serv.; « alii dicunt *tantum*, alii *tanto magis* » schol. Bern. | *uinclis* P. 414 *sommo* M, *-mno* M^1. 415 *hae* M, *-ec* M^2 | *defundit* G, Serv. V, *diffu-* M, *perfu-* P, *depromit* R (*depromit* idem significat quod *defundit*, cuius est declaratio). 416 *perfudit* R | *ad* G | *ille* P. 417 *auras* R. 418 *adque* R | *uigor uenit* M, corr. M^2 | *et* P R. 419 *exesi* M R | *im* P, *in* add. M^1.

IV 421-435 M P R. — 422 *sed* P. 423 *a* om. R. 424 *conlocat* P R | *obscurat* M, *-a* M^1. 425 *torpens sitlentis* P | *serius* R, *siriuis* P. 426 *medioum* M, *-ium* M^1. 427 *hauserat* M^2 R, *ause-* M. 428 *radiis* M | *tepefata* R. 429 *atra* M, *ant-* M^1. 430 *circum uasti* M, corr. M^1. 431 *exultans* M P R | *discerpsit* P. 432 *sese* R | *pocae* M, *pho-* M^1. 433 *stabulis* P.

vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit
auditisque lupos acuunt balatibus agni,
consedit scopulo medius numerumque recenset.
Cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas,
vix defessa senem passus componere membra
cum clamore ruit magno manicisque iacentem
occupat. Ille suae contra non immemor artis
omnia transformat sese in miracula rerum,
ignemque horribilemque feram fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
in sese redit atque hominis tandem ore locutus:
« Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras
iussit adire domos? quidve hinc petis? » inquit. At ille:
« Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere quicquam;
sed tu desine velle. Deum praecepta secuti
venimus hinc lassis quaesitum oracula rebus ».
Tantum ecfatus. Ad haec vates vi denique multa
ardentis oculos intorsit lumine glauco
et graviter frendens sic fatis ora resolvit:
« Non te nullius exercent numinis irae;
magna luis commissa. Tibi has miserabilis Orpheus
hautquaquam ob meritum poenas, ni fata resistant,

434 *uespere* P | *at* M P | *tenta* M, *tecta* M^1. **435** *accuunt* R.

IV **436-461** M P R V. — **436** *consedit* M, *-sidit* M^2 P R. **438** hunc v. om. V | *difessa* P. **439** *que*] *qu* P. **440** *inmemor* M. **443** *fuga* M, *-am* M^2 | *repperit* R | *phallacia* M, *fall-* M^2; « *fallacia :* legitur et *pellacia* » Filarg. **444** *se* M, *sese* M^1 | *adque* R | *tandem est* R. **446** *domus* M, *-mos* M^1 | *et* P. **447** *proteus* M, *-teu* M^2, *-taeus* R | *est*] scil. mihi | *quidquam* Medea (83), *cuiquam* P, evanuit in V | « *cuiquam :* alii *quicquam* legunt » Serv.; « *quisquam* (an *quiquam* pro *cuiquam?*) : alii *quicquam* legunt » Serv. V. **448** *tu*] *iu* P | *uelle*] scil. ut sit te fallere. **449** *lapsis* R. **450** *ecfatus*] *etfatus* M, *effa-* P R V | *ad* M, *at* M^1. **451** *in lum-* M; *in* del. M^2. **452** *frendns* R, *-dens* R^1. **454** « *commissa tibi :* alii ita distingunt, ut sit a te commissa; alii *tibi has m- O-* » Serv. | *lues* R. **455** *haudquaquam* M, *-quamquam* P | *ob*] etiam Serv., *ad* P | *nisi* M.

suscitat et rapta graviter pro coniuge saevit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,
immanem ante pedes hydrum moritura puella
servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
implerunt montis; flerunt Rhodopeiae arces
altaque Pangaea et Rhesi Mavortia tellus
atque Getae atque Hebrus et Actias Orithyia.
Ipse cava solans aegrum testudine amorem
te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,
te veniente die, te decedente canebat.
Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
et caligantem nigra formidine lucum
ingressus manisque adiit regemque tremendum
nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotae Erebi de sedibus imis
umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,
quam multa in foliis avium se millia condunt,
vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,

456 *suscitant* M, *-at* M^2 | *saiuit* P. **457** *dum*] *non* P. **458** *inma-* M. **460** *ad* P | *aequali* R | « *supremos* summos » Serv., *supremo* P R. **461** *inplerunt* M, *-eruit* P | *montes* M R, evanuit in V | *fierunt* P | *artes* M, *arces* M^1.

IV **462-464** M R V. — **462** *pangaea* V, *-nchaea* M, *-nchai* R | *resis* M, *-i* M^2, *hresi* R. **463** *adque* -utrimq. R | *getae:* hiatus | *heburus* R | *actia* M, *-ias* M^1 | *orthyia* R. **464** *acerum* M, *aegr-* M^2.

IV **465-470** M R γ. — **465** *coniux* M R, *-unx* M^1. **467** *-nareas* M | *auta* M, *alta* M^1. **468** *calican-* M. **469** *manes* M R | *adit* R | *tremendusm* M, *-um* M^1. **470** *praecibus* R γ.

IV **471-497** F M R. — **471** *cantum* R. **472** *bant* M, *ib-* M^1 | *tenuis* M, *-ues* M^2 | post v. **472** ex A. VI 311. 310. 312 *quam multae glomerantur aues ubi frigidus annus lapsi cadunt folia aut ad terram gurgite obare trans pontum fugit et terris inmittit apricis* add. R. **473** *foliis*] *siluis* M (ex A. VI 309) | *milia* F M R (*millia* semper August. in Monum. Ancyr. et Antioch., Americ. Journ. of philol. 47, 1926, 7–20; scriptio *milia* postea usque a Plini senioris aetate in communem consuetudinem venit, Pomp. V p. 185, 16 K). **474** *imbrem* R.

matres atque viri defunctaque corpora vita
magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae
impositique rogis iuvenes ante ora parentum;
quos circum limus niger et deformis harundo
Cocyti tardaque palus inamabilis unda
alligat et noviens Styx interfusa coercet.
Quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
Tartara caeruleosque implexae crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora
atque Ixionii vento rota constitit orbis.
Iamque pedem referens casus evaserat omnis
redditaque Eurydice superas veniebat ad auras
pone sequens (namque hanc dederat Proserpina legem),
cum subita incautum dementia cepit amantem,
ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes:
restitit Eurydicenque suam iam luce sub ipsa
immemor, heu, victusque animi respexit. Ibi omnis
effusus labor atque immitis rupta tyranni
foedera, terque fragor stagnist auditus Averni.
Illa « Quis et me » inquit « miseram et te perdidit, Orpheu,
quis tantus furor? en iterum crudelia retro
fata vocant conditque natantia lumina somnus.

475 *ac* R. **478** *limum* R | *arundo* R. **479** *inamalis* F, corr. F^1 | *unda* F, *-ae* F^2. **480** *et*] *in* R | *nouiens* F, *-es* F^1 M | *cohercet* R. **481** *stupere* R | *domos* in *-mus* corr. R | *laeti* F, *loe-* F^1. **482** *caerulaeos* F, *-leis* M, *-leos* M^2 | *implexae* M, *-pexae* M^1, Serv. V, *innexae* R | « *inplexae* involutae, inplicitae » Serv. | *inhians tria cerberus ora* F (cf. v. 525-526), dein radendo *innexae crinibus angues* F^1, *inpexae* F^2. **483** hunc v. minoribus litteris inseruit F^1. **484** *ixionii* F, *-nei* F^1 | « *vento* pro adventu significat . . ., aut *ventu* verbum gerundi est » Serv. V | *uento* scil. in vento. **485** *iuaserat* F, *eu-* F^1. **486** *reddit atque* M, corr. M^2 | *eurydices* M, *-ce* M^1. **488** *subito* R | *incautu* F, *-tum* F^1. **490** *iam* add. cum distinct. M^2 | « *suam iam :* alii legunt *iam -ipsa* » Serv. **491** *eu* F, *heu* F^1 | *respecxit* M. **493** *saterque* M, *terque* M^2 | *stagnist*] *-gni est* R, *-gnis* F M | *auernis* M, Serv. V. **494** *perdedit* M | *orphaeu* R, *-heus* M, *-heu* M^1. **495** *cruelia* F, corr. F^1.

Iamque vale; feror ingenti circumdata nocte
invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas ».
Dixit et ex oculis subito, ceu fumus in auras
commixtus tenuis, fugit diversa neque illum
prensantem nequiquam umbras et multa volentem
dicere praeterea vidit; nec portitor Orci
amplius obiectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis coniuge ferret?
quo fletu manis, quae numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat iam frigida cumba.
Septem illum totos perhibent ex ordine menses
rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
flesse sibi et gelidis haec evolvisse sub astris
mulcentem tigris et agentem carmine quercus,
qualis populea maerens philomela sub umbra
amissos queritur fetus, quos durus arator
observans nido inplumis detraxit; at illa
flet noctem ramoque sedens miserabile carmen
integrat et maestis late loca questibus implet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei.
Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem
arvaque Riphaeis numquam viduata pruinis
lustrabat raptam Eurydicen atque inrita Ditis
dona querens; spretae Ciconum quo munere matres
inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi

497 *ferer* M, *-ror* M^{1}.

IV **498-521** M R γ. — **500** *diuersa* M, *in d-* M^{7}. **501** *-icquam* M, *-iquam* M^{2} | *uolantem* M, corr. M^{1}. **504** *rapta* M, *erep-* M^{2}. **505** *quos* R | *fetu* M, *fle-* M^{1} | *manis* M, *-nes* M^{2} | *moneret* M, *mouer-* M^{2}. **506** *ille* M, *illa* M^{1} | *cumba* M, *cym-* M^{7}. **507** *prohibent* M, *perhi-* M^{2}. **509** *flesse sibi* (i. e. soli, v. 465 *secum*)] *fleuisse* M γ | *antris* M γ, iteratum ex *rupe* superior. versus. **512** *quaer-* M R, *quer-* M^{2}. **513** *opseruans* M γ. **515** *quaest-* M. **516** *flexeret* M, *-re* M^{7} | *hymenei* M. **517** *canaiam* R. **519** *iustr-* R | *adque* R. **520** *quaerens* M R, *quer-* M^{2}.

discerptum latos iuvenem sparsere per agros.
Tum quoque marmorea caput a cervice revolsum
gurgite quom medio portans Oeagrius Hebrus
volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua
a! miseram Eurydicen anima fugiente vocabat,
Eurydicen toto referebant flumine ripae ».
Haec Proteus et se iactu dedit aequor in altum,
quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene; namque ultro adfata timentem:
« Nate, licet tristis animo deponere curas.
Haec omnis morbi causa, hinc miserabile nymphae,
cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
exitium misere apibus. Tu munera supplex
tende petens pacem et facilis venerare napaeas;
namque dabunt veniam votis irasque remittent.
Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios praestanti corpore tauros,
qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycaei,
delige et intacta totidem cervice iuvencas.
Quattuor his aras alta ad delubra dearum
constitue et sacrum iugulis demitte cruorem
corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,

IV **522-534** F M R V. — **523** *tunc* R | *reuulsum* M V, periit in F. **524** *quom*] *quum* F, *cum* M R V | *medius* F | *herus* M, *hebr-* M^2. **525-526** hos v. duos in unum *uolueret eurydicen anima fugi*(*ente uocabat*) conflavit, ut supra 482-483, F; *uox ipsa et frigida lingua* suppl. F^1. **525** *uoluere* M, *-ret* M^1 | *eurid-* M. **526** *miserae* R, *-ram* R^2. **528** *protaeus* M, *-tinus* R. **530** *ad* R | *cyrenae* M, *cyre* R, *-rene* M^2 R^4 | *ultro est* F. **531** *tristes* V | *componere* M, *depo-* M^2. **532** *causas* M, *-sa* M^2. **533** *lucit* M, *-is* M^1. **534** *tum*] *m* in ras. M^1.
IV **535-548** F G M R V γ. — **535** *faciles* R. **537** *set* M. **538** *eximio* R γ, *-mios* γ^1, periit in F G V | *praestantis* R γ, evanuit in G V. **540** *intacta*] etiam Serv., *-ctas* R V (?) γ, *-cta* γ^1, periit in F G. **541** *altas* M, *-ta* M^1 | *dearam* R. **542** *dimitte* M. **543** *deserere* M, corr. M^1.

inferias Orphei Lethaea papavera mittes
et nigram mactabis ovem lucumque revises;
placatam Eurydicen vitula venerabere caesa ».
Haud mora; continuo matris praecepta facessit:
ad delubra venit, monstratas excitat aras,
quattuor eximios praestanti corpore tauros
ducit et intacta totidem cervice iuvencas;
post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
inferias Orphei mittit lucumque revisit.
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum
aspiciunt, liquefacta bovom per viscera toto
stridere apes utero et ruptis effervere costis
immensasque trahi nubes iamque arbore summa
confluere et lentis uvam demittere ramis.

Haec super arvorum cultu pecorumque canebam
et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
fulminat Euphraten bello victorque volentis
per populos dat iura viamque adfectat Olympo.
Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem ignobilis oti,
carmina qui lusi pastorum audaxque iuventa,
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

545 *orphei* M γ, « *Orphei* dativus est graecus » Serv., « *orphei :* in Ebrii *orphi* » schol. Bern., *orphi* M^{2}, *orpheo* R, periit in F G V (cf. B. IV 57) | *lethea* G R, *laetea* M | *mittis* F, *-ttes* F^{1}. **546** *leuises* F, *reu-* F^{1}. **548** *haut* R | *facessit* F R V, Serv., *capessit* M γ | « *capessit . . .*, alii legunt *facessit* » schol. Bern.

IV **549** G M R V. — *iras* M, *ar-* M^{1}.

IV **550-566** G M R γ. — **550** *eximios* M, *-mio* R γ, *-mios* γ^{1} | *praestnati* M R γ, *-tis* R^{1}. **551** *intacto* M, *-ctas* R γ, *-cta* M^{1} γ^{1}. **553** *orphei* G M γ, *-phi* M^{1}, *-phaeo* R. **555** *bouom*] *-uum* G M, *boum* R. **557** *inmen-* R | *trahens* R. **558** *dimitt-* M. **559** *cultus* G. **562** *affectat* M; « *affectat* pro intendit » Serv. V. **564** *ignobiles* M, *-lis* M^{1}. **566** *tu* G, *te* G^{1} | *patulae cecini* G, Serv. V, *patule* (*-lae* M^{2}) *caecinit* M, *caecini patulae* R.

P. Vergili Maronis Georgicon lib. IIII expl. M, *Vergili Maronis Georgic. lib. IIII explic. feliciter* R.

LOCI IN GEORG. PRAECIPUE NOTABILES

I 2 *vitis;* 13 *equom;* 35 *scorpios; reliquit;* 56 *Tmolos;* 58 *virosa;* 69 *illic;* 102 *laetus ager;* 155 *herbam;* 161 *sine nec;* 166 *vallus;* 174 *stivaque;* 203 *atque;* 208 *dies;* 218 *averso;* 251 *illis;* 275 *incussum;* 383 *variae;* 398 *pinnas;* 513 *in spatia.*

II 22 *alii quos;* 42-46; 45 *ficto;* 69 *arbutus horrida;* 71 *fagus;* 82 *miratastque;* 98 *Tmolius;* 106 *discere;* 214-216; 247 *amaror;* 256 *quis quoi;* 270-271 *steterit, tulerit;* 299 *neve flagella;* 300 *defringe;* 318 *concretum;* 341 *terrea;* 365 *acies;* 376-379; 378 *admorso;* 433; 464 *inlusas;* 506 *Sarrano;* 542 *fumantia.*

III 83 *e gilvo;* 113 *Ericthonius;* 148 *Romanust;* 162 *cetera;* 190 *acceperit;* 223 *longus;* 228; 250-265; 292 *eire;* 323 *mittet;* 356 *cauri;* 376 *specibus;* 449 *vivaque sulpura;* 519 *reliquit;* 535 *arduos.*

IV 103 *quum;* 112 *tinos;* 154 *magnis;* 173 *Aetna;* 199 *nixibus;* 203-205; 221 *omnia;* 230 *ora fove;* 236-238; 251-264; 292-293; 384 *perfundit;* 415 *defundit;* 447 *quicquam;* 448 *velle;* 473 *millia;* 482 *implexae;* 484 *vento;* 509 *flesse sibi, astris;* 545 et 553 *Orphei.*

II 208 *dies* genetivus, Gellio teste (IX 14,6), etiam apud Cicer. p. Sest. 28 *daturos illius dies poenas;* quod non mirabitur qui quaedam in eius operibus vetustatis vestigia inveniri animadverterit; neque vero operam perdet qui Vergilianam orationem cum Cicerone contulerit.

III 92 *effundit.* Complures editores *effudit* recipiunt, tamquam lectio haec recta sit et a codicibus tradita.

Exoriare aliquis tandem qui Vergilianam constructionem seu syntaxin mavis penitus perscruteris.

GEORGICON NOMINA